This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Rössler - De Duride Diodori Hieronymo Duridis - 1876.

Gd 52
120



Gd 52.120

Harvard College Library

FROM

Francis N. Fobes

Cod. № 604

DE

DURIDE DIODORI HIERONYMO DURIDIS

IN REBUS A SUCCESSORIBUS ALEXANDRI MAGNI GESTIS AUCTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GEORGIA AUGUSTA GOTTINGENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

C. G. F. EDUARDUS RÖSSLER

OSNABRUGENSIS.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT E. A. HUTH.

MDCCCLXXVI.

Gd 52.120
V.

[illegible] COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
FRANCIS H. FOBES
AUG 30, 1921

CURTIO WACHSMUTH

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Gd 52. 120
v.

[illegible]
CITY
[illegible]
AUG

ausam inquiris, ipsis ve-
n paene efficitur: nam-
ieronymi opus nemo
nysius, Josephus,
et Lucianum et
austa sed per
Reussius de-
licet dubi-
em non
fere annorum spatium intercessit, e, ut
us [1]) de Diodori fontibus quaestiones ex oris,
xinde sententiae prolatae, permulta accuratius ex-
onnulla ad certum finem jam perducta sunt: ei tamen
e adhuc in diversas trahuntur partes, qui quibus aucto-
ibus in rebus a successoribus Alexandri magni gestis usus
sit Diodorus diligentius quaesiverunt. Altera enim ex parte
duces exstiterunt Mannertus [2]) atque Brücknerus [3]), qui ex
ipso atque uno Hieronymo Cardiano fluxisse censebant quae-
cunque de rebus ab successoribus Alexandri gestis a Diodoro
prodita ad nostram memoriam pervenerunt, quorum signa
secuti sunt C. Müllerus [4]), Woelfflinus [5]), Volquardsenius [6]),
alii. Altera ex parte princeps Droysenius [7]) num ex uno
Hieronymo pendeat Diodori narratio dubitavit, atque accura-
tius totam quaestionem retractantes Haake [8]), Müllemeister [9]),
Rösiger [10]), cum intellegerent et aliorum auctorum vestigia

---

[1]) Comment. soc. scient. Gotting. 1782—84.

[2]) Geschichte der Nachfolger Alexanders, Leipz. 1787. p. 352.

[3]) Zimmermann's Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1842. p. 252.

[4]) Fragm. hist. graec. vol. II. p. 450 sqq.

[5]) Polyaeni strategicon libri octo ed. Woelfflin, p. XII.

[6]) Untersuchungen über die Quellen der griech. u. sicil. Gesch. bei Diodor, B. XI—XVI, Kiel 1868, p. 1.

[7]) Geschichte des Hellenismus, Hamburg 1836, p. 669 sqq.; sed nuperrime homo doctissimus aliter judicavit, de qua re infra accuratius dicendum est.

[8]) De Duride Samio, Bonn 1874.

[9]) De Pyrrhi Plutarchei fontibus, Gotting. 1874.

[10]) De Duride Samio, Gotting. 1874.

deprehendi apud Diodorum et nonnulla, quae ex ipso Hieronymo fluxisse non possunt, labefactatis veteris istius opinionis fundamentis alios auctores comprobare conati sunt. Quibus dubitationibus commotus ipse operam navabam, ut singularum partium perscrutatione instituta certum mente comprehenderem judicium, et mihi et aliis persuasum jam habebam in utraque sententia recta mixta esse cum falsis atque in medio positum esse verum, cum nuperrime nova atque dupla ad defendendam unius Hieronymi auctoritatem subsidia subministrata sunt a Nitschio Berolinensi [11]) et Reussio Marburgensi [12]); a quibus etsi permulta jam prolata sunt quae et ipse equidem prolaturus eram, tamen non solum non superfluam, sed necessariam paene totius quaestionis retractationem eam ob causam judicavi, cum alia ab illis minus recte disputata, alia omnino praetermissa viderem. Quibus et emendatis et suppletis si firmius aliqua ex parte efficietur hominum doctorum de hac re judicium, munus satis operae pretium suscepisse mihi videbor.

I.

Reussius dissertatione sua demonstratum censet *ipsum* Hieronymum Diodori, Justini, Plutarchi, Nepotis, Arriani, Appiani, Pausaniae, Polyaeni, Dionysii, Porphyrii in enarrandis rebus ab successoribus Alexandri magni gestis fuisse auctorem. Quod si verum, necesse est pervulgatam fuisse per eas aetates et inter Graecos et inter Latinos Hieronymi cognitionem, maximum usum, summum studium atque gratiam, cum quicunque uberius de his rebus egerunt scriptores mirum in modum consentientes unum eundemque sibi eligerent fontem atque prorsus neglecta tota qui post Hieronymum eadem tractavere scriptorum turba unum hunc omnes sequerentur auctorem.

---

[11]) Progr. d. Sophien-Gymnas., Berlin 1876.

[12]) Hieronymus von Kardia, Berlin 1876.

Cujus rei, si accuratius totam causam inquiris, ipsis veterum scriptorum testimoniis contrarium paene efficitur: namque cognitum a se atque inspectum Hieronymi opus nemo laudat nisi Moschion, Agatharchides, Dionysius, Josephus, Appianus, Pausanias — nam et Strabonem et Lucianum et Athenaeum non ex ipsius Hieronymi libris hausta sed per alios scriptores perlata verba ejus accepisse ipse Reussius demonstravit (p. 150 sqq.), de Plutarcho vero valde licet dubitare, num ipsum inspexerit Hieronymum, quem auctorem non laudat nisi in una Pyrrhi vita atque ea semper ratione, ut conjunctum cum Hieronymi nomine legatur alius scriptoris, bis Dionysii Halicarnassensis (c. 17. v. 27 [13]) c. 21. v. 23), semel Phylarchi (c. 27. v. 28), qua re quicunque accuratius in his quaestionibus Plutarcheis versati sunt non jam id demonstrari sciunt, utrumque scriptorem re vera ab ipso Plutarcho esse inspectum, qui saepissime e suo auctore nomina ipsa exscripsit — neque ullus omnino inveniri potest Latinorum scriptorum locus, quo apud Romanos ne dicam vulgatos, sed cognitos tantum Hieronymi libros demonstretur: neque Cicero, quem sane imbutum literis Graecis constat, neque Plinius, qui 238 auctorum a se usurpatorum nomina affert, Hieronymi mentionem faciunt, quod, si re vera tantus fuit operis usus, vix potuit fieri. Confirmantur etiam hae dubitationes ipsius Pausaniae testimonio, qui I, 6, 1 omnino fere oblivione oppressum apud aequales dolet Hieronymi opus. Quare cum latissimus ille Cardiani usus atque cognitio, quae, si recta stat Reussii sententia, debent statui, ipsorum veterum auctorum verbis non modo non possint confirmari, verum etiam apertis testimoniis abnuantur atque denegentur, firmissima fidissimaque afferenda sunt argumenta, si tamen Hieronymum posteriorum omnium fere scriptorum ipsum atque unum fuisse auctorem alicui velis persuadere.

Fundamentum argumentationis a Reussio institutae in eo positum est, ut demonstrare studeat, ita consentire omnium, qui de his rebus agunt, scriptorum narrationes, ut ex *uno eodemque* omnes fonte hauserint necesse sit. Illud vero

[13]) Versus citantur editionis Teubnerianae.

cognita Reussii argumentatione neminem vel mediocriter in hisce quaestionibus versatum effugere credo, redisse hominem doctum ad veterem illam indagandi rationem, ut singularum partium perscrutatione atque collatione nimis neglecta e rebus in universum disputatis argumenta subsidiaque dissertationi comparet, cum de summis atque in universum vel congruere vel aliqua ratione conjungi posse quae de rebus a successoribus Alexandri gestis ab scriptoribus illis prodita ad memoriam nostram pervenerunt demonstraverit. Sed aliud certe est e diversis narrationibus colligere, quo modo re vera res sint gestae, aliud indagare fontium rationes; atque constat, in talibus de fontium ratione disceptationibus non tam ex congruentiis generalibus summas causas petendas esse, quam in eis ponendum discrimen, quibus inter se discrepant scriptorum narrationes, atque quaerendum, utrum fortuitae sint differentiae an certis causis adductae, utrum singulae raraeque occurrant an saepius cernantur in eodem. Cernuntur vero in eis, quae de rebus ab successoribus Alexandri magni gestis memoriae prodita sunt, narrationum discrepantiae neque parvae illae quidem neque rarae; quas a Droysenio aliisque accurate jam demonstratas cum negare non possit Reussius, in eo semper elaborat, ut summa cura deterat differentiarum vim atque magnitudinem et aliquo modo conjungi posse demonstret diversas auctorum narrationes. Quod, si quae de Justino p. 23—38 ille disputavit accurate perlegeris, semel atque iterum tibi occurret; exstare discrepantias ipse Reussius negare non potest, sed unam quamque aliquo modo explanare studet, eo ubique, ut videtur, nisus placito, quod p. 23 proposuit „wo Justin abzuweichen scheint, trifft den epitomator, nicht den ursprünglichen verfasser die schuld.“ Permulta ab Justino confusa atque turbata esse eamque ob causam difficillimam in hoc esse totam quaestionem, quis est quin concedat? Tamen hoc certe constat, si non unus Justinus discrepat a Diodoro sed discrepans consentit cum aliis, id non „neglegentia epitomatoris“ factum esse, sed suis niti causis. Atque talis ratio semel atque iterum intercedit inter Justinum, Arrianum, Curtium, alios cum Diodoro, Plutarcho, Corne-

lio comparatos. Cujus rei exempla quaedam proferre placet. Jam, ut ab initio ordiamur, Diodorus XVIII, c. 2—4 hoc ordine res gestas esse prodidit: mortuo Alexandro discidia de summa imperii coorta a peditibus esse dirempta rege Arrhidaeo, regni procuratore Perdicca electo (c. 2); deinde provincias singulis ducibus a Perdicca assignatas (c. 3) mandataque regis defuncti commemorat (4, 1—6); *tum* vero et de seditiosis triginta militibus et de Meleagro supplicium sumptum esse dicit (4, 7). Contra Justinus et Arrianus ita rem tradunt: post mortem regis varias inter equites peditesque dissensiones coortas (J. 13, 2—4, 6. A. §. 2—3), quibus solutis Perdiccam exercitus lustrationem simulantem milites seditiosos Meleagrumque occidisse (J. 4, 7—10. A. 4); *tum demum* provincias esse divisas; idem rerum ordo legitur apud Curtium X, 6—10. Reussius quidem Diodori neglegentia rerum ordinem mutatum esse existimat (p. 24), cujus opinionis ex ipsis Diodori verbis causa afferri potest nulla, immo optime inter se cohaeret, bene secum concordat narratio (Meleager dux peditum exsistit, post dirempta discidia Lydiam provinciam sortitur [14]), deinde a Perdicca occiditur); comparatis demum Justino, Curtio, Arriano *re vera* quidem alium fuisse rerum ordinem videmus: inde vero minime id jam potest colligi, omnes, qui de his rebus egerint, scriptores eundem ordinem scribere debuisse! Et si cernimus, non solum hunc rerum *ordinem* sed etiam alia nonnulla aliter tradi ab Diodoro atque ab Justino ceterisque, atque ita, ut optime sese habeat narratio neque ullo loco secum pugnet, tum certe non turbata fontis verba sed accuratissime a Diodoro expressa esse statuendum mihi videtur atque illud potius colligendum, alium

---

[14]) Nam in codd. legitur *Μελεάγρῳ*, *Μενάνδρῳ* conjectura aliis scriptoribus comparatis ab editoribus quibusdam scriptum est. Perversissimum vero est, ex *aliis* scriptoribus emendare alius scriptoris verba, quae optime sese habent, atqui habet optime Diodori narratio: offensio non infertur nisi conjecturam illam sequimur, nam tum sane mirandum est, Meleagrum, qui tantum inter milites dissidentes valuerat, nullum in componendis discordiis locum tenere. — Re vera quin non Meleagro, sed Menandro Lydia contigerit, non potest dubitari, sed eo non cogitur, Diodorum quoque scripsisse „*Μενάνδρῳ*."

fuisse Diodoro, alium Justino Arriano Curtio fontem. Adesse vero etiam alia, quibus discrepet Diodori narratio ab ceteris, neque pauca, si attentius animum advertis, facile intellegis. Primum multo accuratius atque uberius, quo modo mortuo rege primae de regno dissensiones coortae, progressae, diremptae sint, ab epitomatore illo Trogi, Justino (c. 2—3), nec non a Photio Arriani (§. 1—3) enarrari, quam ab eo, cujus tota atque integra exstat ipsa oratio, Diodoro (c. 2), quis est, quin videat; qua ex re haud scio an suo jure possit colligi ipsum Diodori auctorem brevius carptimque de his rebus egisse. Sed ne ex incertis argumenta subministrem disputationi, exstant, quae tam diversa ab utroque prodita sunt, ut quo modo quis ea ex eodem fonte fluxisse velit demonstrare, difficile sit intellectu. Priorem illam discidiorum compositionem ante caedem Meleagri factam (Just. 4, 1—6) Diodorus omnino ignorat, cum confestim ex dissensionibus divisas esse provincias tradat; nihil igitur de eis quae et apud Arrianum leguntur §. 1: Arrhidaeum regem esse factum *ἐφ' ᾧ καὶ Ἀλέξανδρον, ὃν ἔμελλεν ἐξ Ἀλεξάνδρου τίκτειν Ῥωξάνη, συμβασιλεύειν αὐτῷ* et apud Justinum 4, 3 „in Arrhidaeum regem consentiunt servata est portio regni Alexandri filio si natus esset"; et cum Justinus 4, 5 ita compositas discordias tradat, ut Antipater Graeciae praeponeretur, Cratero custodia pecuniae regiae traderetur, Meleager, Perdiccae collega fieret, eodemque fere modo convenisse dicat Arrianus §. 3, Diodorus 2, 4 nihil omnino de Cratero, Antipatrum vero non ex *his* compositis, sed cum dividerentur provinciae 3, 2 *a Perdicca* obtinuisse Macedoniam scribit, de Meleagro imperii participe nihil, sed unum Perdiccam procuratorem factum prodit 2, 4, consentiens cum Cornelio Nep. Eum. 2, 1: *ἐπιμελέτην δὲ τῆς βασιλείας Περδίκκαν* — „summa rerum tradita . . . . Perdiccae"; Arrhidaeum denique corpus regis Alexandri deducere jussum Justinus *ante* provinciarum partitionem, Diodorus *post* eam tradit.

De ipsa provinciarum divisione quae et a Diodoro c. 3 et ab ceteris (Just. c. 4, 9 sqq. Arr. 5—7. Curt. X, 10) tradita sunt, ex uno *primario* fonte ducenda esse non jam ex eo intellegitur, quod eisdem viris eaedem tribuuntur provin-

ciae, sed ex eo, quod idem fere apud omnes legitur enumerandi ordo. Apparet vero, non jam ea de causa, quod in universum de hac re congruunt, colligi posse, eundem ipsum omnes exscripsisse auctorem, sed et in discrepantias ordinis et in res leviores atque forte additas animadvertendum esse. Atque ipse Reussius p. 24 concedit, ordinem Justini alium esse atque Diodori: addendum erat, Justinum divergentem a Diodoro consentire cum Arriano et Curtio, nam si unum excipias Eumenem, idem apud Justinum atque Arrianum, si unum Lysimachum, idem apud Curtium atque Justinum enumerandi ordo exstat. Diodorus vero saepius discrepat: quartum habet Eumenem, Justinus quartum decimum; Atropatum, quem Justinus sexto post Pithonem, Diodorus vicesimo ponit loco post Tleptolemum; Seleucus apud Justinum quinto decimo loco post Eumenem numeratur, apud Diodorum extremo loco post Arcesilaum; Peucestis Tleptolemique loci mutati sunt; de Arrhidaeo denique corpus regis curare jusso supra jam commemoravimus. Atque si ad res leviores animum adverteris: consentit cum Arriano Justinus, cum dicant: Arr. §. 5 *Πτολεμαῖος μὲν ὁ Λάγου Αἰγύπτου καὶ Λιβύης, καὶ ὅσα τῆς Ἀράβων γῆς ξύνορα Αἰγύπτῳ, ἄρχειν ἐπετάχθη, Κλεομένης δὲ ... Πτολεμαίῳ ὕπαρχος εἶναι.* Just. 4, 10 „Ptolemaeo Aegyptus et Asiae Libyaeque pars sorte evenit; cui ad tractandam provinciam Cleomenes ... additur" (cf. Paus. I, 6, 3 *Κλεομένην τε ἀπέκτεινεν*). Diodorus Asiae Libyaeque mentionem non facit, de Cleomene vicario nihil scribit; nihil idem de Cassandro Antipatri filio (Just. §. 18), nihil de Coeno (§. 14), nihil de Pithone coloniarum praefecto (§. 21); Lyciam et Pamphyliam *Antigono* evenisse Diodorus tradit, *Nearcho* Justinus (§. 15; fontis, quo usus est Justinus auctoritas confirmatur Polyaeni testimonio V, 35); de Meleagro et Antipatro supra jam diximus, Bactrianos denique Sogdianosque Diodorus (§. 3) Philippo, Justinus (§. 23) Bactrianos Amyntae, Sulceo Sogdianos, Philippo Parthos contigisse prodidit.

Altera vero ex parte congruunt cum Diodoro in rebus maxime pusillis et Cornelius et Plutarchus. Magnopere dolendum est, quod singula tantum raraque de provinciarum

divisione apud illos inveniuntur, in eis vero, quae leguntur, mirum in modum in minimis etiam rebus cum Diodoro consentiunt. Ita Diod. 2, 4, ubi Perdiccam *ἐπιμελέτην τῆς βασιλείας* factum dicit, addit haec verba: *ᾧ καὶ ὁ βασιλεὺς τὸν δακτύλιον τελευτῶν ἐδεδώκει.* Rem ipsam et Just. XII, 15, 12 et Curt. X, 5, 4 tradunt, sed plane alio loco, ubi de ipsa regis morte agitur; *eodem* vero *loco* atque eisdem verbis Nep. Eum. 2, 1, addit: cui Alexander moriens anulum suum dederat. Deinde apud Diod. 3, §. 1 scriptum est: *Εὐμένει δὲ Παφλαγονίαν καὶ Καππαδοκίαν καὶ πάσας τὰς συνοριζούσας ταύταις χώρας, ἃς Ἀλέξανδρος οὐκ ἐπῆλθεν*, quod idem fere additamentum et apud Plutarchum invenitur et apud Nepotem: Plut. Eum. c. 3 v. 13: *Εὐμένης λαμβάνει Κ. καὶ Π. καὶ τὴν ὑποκειμένην τῇ Ποντικῇ ..... οὔπω τότε Μακεδόνων οὖσαν·* Corn. Eum. c. 2: „data est Eumeni Cappadocia sive potius dicta, nam tum in hostium erat potestate.“ Cujus rei ceteri scriptores hoc loco mentionem non faciunt; casu vero factum esse, ut tres hi scriptores rem levissimam minorisque momenti eodem loco adderent, vix mihi persuaseris, praesertim cum alia et plurima et gravissima adsint indicia, quibus ex uno eodemque auctore hosce hausisse infra demonstrabimus. Illud jam demonstratum est, quamquam de summis rerum consentiant cum Diodoro Justinus atque Arrianus, exstare tamen nonnulla, quae ex uno eodemque fonte fluxisse non possunt. Neque nunc jam opus est refutare Reussii argumenta, qui ex talibus jam demonstrari putat eundem fontem, si verborum quorundam similitudines inveniantur singulae (cf. p. 24 „caput“: *ἡγεμόνα;* „consentiunt“: *ὁμονοῆσαι;* „armati“: *μετὰ τῶν ὅπλων*), quae generales occurrant necesse est in duobus scriptoribus de eisdem rebus gestis tradentibus. Quo modo vero quis ex eo, cum dicat quae ab Just. 4, 4 facta esse traduntur *Babylone, a ducibus, post mortem Alexandri,* optime congruere cum eis, quae a Diodoro (XVIII, c. 60—61), Plutarcho (Eum. c. 13), Nepote (Eum. c. 7) *Eumeni in Cilicia* tribuantur — alio igitur homine, alio tempore, alio loco neque idem factum — communem illis fuisse fontem alicui velit persuadere, hoc equidem non intellego!

Jam cum quinto Justini capite in comparationem vocanda sunt Diodori capp. 8—18, ubi luculentissime narrationum discrepantiae apparebunt. Quae de causis belli Lamiaci a Justino (5, 1—5) exponuntur, in universum congruunt cum eis, quae Diodorus (c. 8) prodit, omissa sunt a Pausania (I, 25). Tamen temerarium esse, colligere ex eo, quod in universum eaedem fere ab utroque referantur belli causae, eundem quoque ipsum ab utroque exscriptum esse auctorem, cum ex eo intellegitur, quod ipsorum verborum similitudo nulla fere est, tum ex eo, quod de reliquo bello plane dissentiunt. Diodorus et Pausanias nihil de mille navibus ab Alexandro sociis imperatis (Just. §. 7), nihil de contracto triginta milium exercitu (§. 8), non „detractantem proelium" (§. 8) sed victum Antipatrum Diodorus tradit (c. 12, 4), non Heracleae, sed Lamiae moenibus sese tuentem (ib.). Nihil deinde neque Diodorus neque Pausanias de Demosthene (Just. §. 9), nihil de Hyperide legato, nihil de Corinthiis sociis; apud Justinum vero nihil legeris de eis sociis, quos eodem ordine enumerant et Diodorus (c. 11, 2) et Pausanias (§. 4); magnopere denique de eventu belli dissentiunt: Justinus (§. 16) „Antipatrum obsidione solutum proelium non commisisse, sed concessisse in Macedoniam, Graecorum copias hoste finibus Graeciae pulso in urbes dilapsas" scribit: Diodorus vero Graecos commisso proelio pacem petivisse eamque obtinuisse praeter Aetolos et Athenienses (c. 17), Antipatrum deinde contra Athenas movisse civitateque in fidem recepta reipublicae formam commutasse, relicto denique Athenis praesidio (= Paus. §. 5) bellum finitum esse. In quibus tot tantisque narrationum diversitatibus quo modo quis unum eundemque indagare velit fontem, mihi quidem haud plane perspicuum est. — Multo magis de hoc bello consentire cum Diodoro Pausaniam, allatis exemplis paucis supra demonstravimus, accuratius ostendit Reussius pg. 55—56; tamen, etsi artior intercedit inter hos fontium cognatio, ne ex uno eodemque utrumque hausisse putemus, eo vetamur, quod Pausaniae narratio aperte ostendit studium quoddam Atheniensium atque favorem; cf. §. 3: *Φίλιππος ἐκάκωσε Ἀθηναίους*, §. 5: *ἀξίωμα* urbis inter ceteras civitates praedicatur, Diodori vero in hisce capitibus

haud ita benevolum erga Athenienses animum prae se fert, cum in c. 10, tum in c. 18, 4 dicat „humanissimum“ Antipatrum Atheniensibus sese praebuisse et §. 6 „praeter spem clementiam nactos esse cives“, etsi revera gravissimae erant pacis leges. Quae quo modo sua explicentur ratione, infra demonstrabimus.

Eadem quae adhuc disputavimus, de sexto quoque Justini capite valent. De summa rerum similia traduntur, de singulis saepissime exstare discrepantias ipse Reussius demonstravit (confunduntur ab Justino Perdiccae bellum contra Ariarathen, Cappadociae regulum [Diod. 16], cum eo, quod contra Larandaeos Isaurensesque gestum tradit Diodorus c. 22, neque Arrianus cum Diodoro consentit, cum dicat §. 11 *bis* cum Ariarathe proelium esse commissum; pugnant inter se Diod. c. 23, 3 *ἦγε τὴν Νίκαιαν* cum Justino §. 7 „neutram obtinuit“; ab Justino §. 11—13 consilia ducum et alia et accuratiora referuntur quam a Diodoro c. 25, 6; [Just. = Arr. §. 34] — nihil denique de Clito, nihil de Philota [J. §. 15] neque Diodorus 29, 2 sqq., neque Plutarchus Eum. c. 5 produnt); quae discrepantiae num omnes uni „epitomatoris neglegentiae“ tribuendae sint, ex eis, quae de prioribus capitibus demonstravimus, valde, credo, dubitare licet. Hoc sane constat, et adesse discrepantias et nullum afferri posse locum, quo ipsis verbis comparatis necessario cogatur, unum eundemque ab utroque auctorem esse exscriptum, sed quae exstant similitudines vel ipsa re coguntur vel longinquioris quoque fontium cognationis vinculo continentur. Neque in c. 8 cognationem quandam fontium inter Diodorum atque Justinum intercedere negaverim, quae nullo tamen loco tanta potest demonstrari, ut ipsum fontem utrique fuisse eundem efficiatur; illud potius hoc loco haud plane praetermittendum puto, quod in re quadam pusilla Justinus cum Arriano et Appiano, Diodorus congruat cum Plutarcho et Cornelio; sunt verba haec: Just. 8, 10 hostis (Eumenes) ab exercitu appellatur, Arrian. §. 39: *Εὐμένης μαθών, ὅτι καὶ πολέμιος ἐψηφίσθη Μακεδόσιν,* Appian. Syr. 53: *ψηφισαμένων εἶναι πολέμιον*, id. Mithr. 8: *αὐτὸν οἱ Μακεδόνες εἶλοντο εἶναι πολέμιον;* contra Diodorus c. 37, 1 (= 59, 4. 60, 1. 62, 1. XIX,

12, 2) *οἱ Μακεδόνες κατέγνωσαν αὐτοῦ θάνατον*, Plut. Eum. c. 8. v. 4: *οἱ Μακεδόνες θάνατον τοῦ Εὐμένους κατέγνωσαν*, Corn. Nep. Eum. 5, 1 „capitis absentes damnantur, in his Eumenes.“ Et si quis dixerit haud multum interesse inter hostem et capitis damnatum, illud tamen his locis ipsorum verborum differentiis confirmatur, quod saepius jam vidimus, artiorem intercedere inter Justinum Arrianumque, artiorem inter Diodorum, Plutarchum, Cornelium rationem.

Sed haec hactenus; neque enim mihi propositum erat hac commentatione de Justino, Arriano, Appiano, aliis a Diodoro discrepantibus diligentius agere; Reussii dissertatione coactus eram, ut de via antea instituta paulisper deflecterem. Et quanquam necessario nunc fere videtur collatio scriptorum accuratius iterum instituenda, tamen hoc loco, quia propter molem ejusmodi inquisitionis haud ea, qua opus est diligentia atque cura, totam quaestionem nunc jam pertractare atque perficere posse mihi videbar (quam data occasione retractaturum me spero), satis habeo, illud exemplis supra allatis demonstrasse, consensionem omnium scriptorum a Reussio affirmatam non esse nisi generalem, in singulis vero rebus permultas talesque inveniri discrepantias atque dissensiones, quae ex eodem fonte fluxisse omnino non possint. Et si memoria tenens generales similitudines in omni earundem rerum gestarum narratione inveniri, ex quibus non jam jure colligatur, eundem fuisse fontem, atque omnino in indagandis fontibus non tam ad similitudines generales, quam ad proprietates singulares atque maxime ad discrepantias animum esse advertendum, perlustraveris ea, quae Reussius comparavit, eandem fere quam supra demonstravimus rationem etiam in ceteris partibus iterum atque iterum intercedere inter Diodorum atque Justinum, Pausaniam, Arrianum, Appianum elucebit: de summis rebus consentiunt cum illo, de singulis saepissime discrepant, ita ut, etsi longinquior quaedam inter omnes cognatio fontium intercedat, tamen ex eodem atque Diodorus illi nequeant hausisse.

II.

Aliter vero de *Diodoro*, *Plutarcho*, *Cornelio*, *Polyaeno* judicandum est. Supra jam aliquoties occasio oblata erat indicandi, hos mirum in modum consentire de rebus, quae levissimae videntur atque forte additae, et si quis perstringat oculis, quae pg. 72—75 Reussius contulit, primo aspectu elucet, permultas res (plus sexaginta numeravi locos) ab his solis convenienter tradi. Quod si ex eo possit explicari, quod et Diodorus et Plutarchus et Nepos uberius de his rebus scribunt, accedunt alia atque ea gravissima. Namque omnes res ab successoribus Alexandri gestae ab his non modo in universum plane eodem modo enarrantur, non modo de singulis quoque rebus consentiunt, sed etiam in numeris, in verbis ipsis maximeque propriis, in elocutionibus rarius usitatis, in sententiis, deliberationibus, tota rerum tractatione tantopere congruunt, ut ex uno eodemque fonte eos hausisse non possit negari. Namque eo nihil efficitur, quod uberius de summa rerum Diodorus, uberius de singulis viris agunt Plutarchus et Cornelius, cum ille quidem universas res ab successoribus Alexandri regis gestas complexus sit, hi singulorum virorum facta praedicanda sibi elegerint; et si perpaucae inveniantur minorum rerum diversitates facili opera quo modo coortae sint explicari potest: summum vero in eo positum est momentum, quod in talibus congruunt, de quibus dissentiunt alii.

Sed cum a Brücknero [15]) jam instituta sit ipsa verborum comparatio, a Reussio [16]) diligentius repetita, ne Iliada canere videar post Homerum, non totam hanc causam retractare necesse est. Tamen cum ex eis, quae jam, antequam edita erat Reussii dissertatio, ipse contuleram, nonnulla a Reussio praetermissa neque omnia a Brücknero exhausta esse intellegam, aliqua ex parte supplenda videtur locorum contentio.

---

[15]) l. c. p. 262 sqq. [16]) l. c. p. 9—21. 72—75.

Primum Reussius non attulit Plutarchei Eumenis caput 1 congruens cum Nep. Eum. c. 1, quibus eodem ordine similibusque verbis refertur, Eumenem a Philippo propter indolem virtutis adductum (quae verba ex eodem fonte fluxisse infra accuratius demonstrabimus), scribae loco habitum, summo honore usum, equitibus praefectum esse (Plut. Eum. 1, v. 2—11. 14—15. Nep. 1, 4—6); neque illud commemoravit, eadem verba inveniri apud Diod. XVIII, 2, 4 et Nep. 2, 1—2.

Deinde Brücknerum fugit, eadem legi apud

Diod. XVIII, 8, 6:	Plut. v. Alex. c. 49, v. 2—5:
Αἰτωλοὶ — — προσεδόκων τὴν — — κόλασιν· καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς ἠπειληκὼς ἦν ὡς οὐκ Οἰνιαδῶν παῖδες, ἀλλ' αὐτὸς ἐπιθήσει τὴν δίκην αὐτοῖς·	*Ἐφοβοῦντο γὰρ Ἀλέξανδρον Αἰτωλοὶ διὰ τὴν Οἰνιαδῶν ἀνάστασιν, ἣν πυθόμενος οὐκ Οἰνιαδῶν ἔφη παῖδας, ἀλλ' αὐτὸν ἐπιθήσειν δίκην Αἰτωλοῖς.*

quae verba, etsi diversis narrationis locis reperiuntur, tamen ita ad verbum congruunt, ut ex uno eodemque fluxisse debeant fonte a Plutarcho hic, a Diodoro illic inspecto.

Deinde dubitari non potest, quin ex eodem fonte hausta sint, quae de Phocione eodem modo atque eisdem saepe verbis tradita leguntur et apud Diodorum et apud Polyaenum Plutarchumque. Congruere ad verbum cum Plut. Phoc. c. 28. v. 13—27 et c. 24, 15—16. 19—27. Polyaen. III, 12, 1 et 2 non necesse est exscriptis ipsis verbis demonstrare. Quae de bello Lamiaco Plutarchus (Phoc. 22—28) tradidit, Reussius aliunde petita censet atque Diodori narrationem (cf. p. 116 ann.: ex Philochoro). Cujus opinionis justam causam non esse, collatis ipsis verbis luculenter apparere credo. Nam Diodori capp. 14, 4—15 respondent Plutarchi c. 25, v. 11—15, breviter tantum perstringentis quae compluribus verbis ille amplexus est: Leonnatum junctis cum Antipatro copiis commisso proelio esse occisum, Graecos victoriam reportasse ducibus equitum Menone Thessalo, peditum Antiphilo; Diod. 16, 4 = Plut. Phoc. 26, 16—17: Craterum auxilio venisse; Diod. c. 17 = Plut. 26, 17—22: Graecos victos singulos in deditionem venisse (plane *alium* belli eventum ab Justino tradi supra jam commemoravimus). Deinde consentiunt

Diod. 18, 1: *Ἀντίπατρος δὲ — — ἤγαγε τὴν δύναμιν πᾶσαν ἐπὶ τοὺς Ἀθηναίους — —*	Plut. Phoc. 26, v. 22—23: *Εὐθὺς οὖν ἐπὶ τὰς Ἀθήνας ἄγοντος τοῦ Ἀντιπάτρου τὴν δύναμιν — —*
ib. §. 2: *ἦν (Δημάδης) γὰρ τρὶς ἡλωκὼς παρανόμων, καὶ διὰ τοῦτο γεγονὼς ἄτιμος καὶ κωλυόμενος — — συμβουλεύειν· ἀπολαβὼν δὲ τὴν ἐπιτιμίαν κτλ.*	ib. v. 27—28: *Δημάδης — — (ἡλώκει γὰρ ἑπτὰ γραφὰς παρανόμων καὶ γεγονὼς ἄτιμος ἐξείργετο τοῦ λέγειν) ἄδειαν εὑρόμενος κτλ.*

Certe non ex levi illa numerorum differentia, quae nescio cui causae debeatur, diversos, sed potius eundem fuisse utrique fontem ex eo intellegas, quod ab utroque scriptore eisdem fere verbis parenthesi quadam additis explicetur e legibus Atheniensium, cur Demadi non licuerit in contione agere. — Phocionem ad Antipatrum legatum missum esse tradunt Diod. 18, 2. Plut. 26. v. 3. Respondet Antipater:

Diod. 18, 3: *— — ἐὰν μὴ τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέψωσιν αὐτῷ· καὶ γὰρ ἐκείνους συγκλείσαντας εἰς Λαμίαν τὸν Ἀντίπατρον τὰς αὐτὰς ἀποκρίσεις πεποιῆσθαι —.*	Plut. 26. v. 11: *— — Περὶ δὲ τῶν ἄλλων ἐκέλευεν αὐτοῖς ἐπιτρέπειν τοὺς Ἀθηναίους, ὥσπερ ἐν Λαμίᾳ Λεωσθένης ἐκεῖνον.*

Proprio hoc atque singulari responso eodem modo ab utroque scriptore commemorato satis demonstratur, neque fortuitam neque generalem tantum esse consensionem, sed eam, cujus causa nisi ex communi fonte non possit explicari.

Diod. ib.: *ὁ δὲ δῆμος ἠναγκάσθη — —*	Plut. Phoc. 27. v. 15: *τοῖς Ἀθηναίοις ταῦτα ἔδοξεν ὑπ' ἀνάγκης —.*
Diod. §. 4: *φιλανθρώπως αὐτοῖς προσενεχθείς —*	Plut. 27. v. 30: *ἀπεκρίνατο φιλίαν ἔσεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις —*

Alium animum prae se ferre Pausaniam supra jam comprobavimus.

Diod. §. 4: *τὴν δὲ πολιτείαν μετέστησεν ἐκ τῆς δημοκρατίας καὶ προσέταξεν ἀπὸ*	Plut. 27. v. 32:

τιμήσεως εἶναι τὸ πολίτευμα — — §. 5: κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐπολιτεύοντο.

ib. φρούραρχον δὲ Μέννυλλον καὶ φρουρὰν ἠναγκάσθησαν δέξασθαι.

πολιτευομένοις δὲ τὴν πάτριον ἀπὸ τιμημάτων πολιτείαν, δεξαμένοις δὲ φρουρὰν —

c. 28. v. 18: Οὕτω μὲν ἐδέξαντο φρουρὰν Μακεδόνων Ἀθηναῖοι καὶ Μέννυλλον ἡγεμόνα.

Omnino vero Reussius praetermisit conferre haec (cf. pg. 117. „c. 48. 64—71: dieser abschnitt bietet uns zwar keine vergleichungspunkte"):

Diod. c. 48, 1: Ἀντιπάτρου περιπεσόντος ἀρρωστίᾳ βαρυτέρᾳ, — — — Ἀθηναῖοι μὲν ἐξέπεμψαν πρεσβευτὴν πρὸς Ἀντίπατρον Δημάδην.

Plut. Phoc. 30. v. 15: Ὁ δὲ (Δημάδης) — ἀπῆρεν εἰς Μακεδονίαν — — ἐν ᾧ κατείχετο μὲν Ἀντίπατρος ἤδη νόσῳ.

ib. §. 2: — — καί τινων ἐπιστολῶν εὑρεθεισῶν —, ἐν αἷς ἦν ὁ Δημάδης παρακαλῶν τὸν Περδίκκαν κτλ.

ib. εὗρεν ἐπιστολὴν Δημάδου γεγραμμένην πρὸς Ἀντίγονον εἰς Ἀσίαν, παρακαλοῦντος αὐτὸν —

Memoria tantum lapsum pro Perdicca Antigonum hoc loco nominasse Plutarchum apparet, si confers, quae ex eodem fonte referuntur in vita Demosthenis c. 31. v. 27: γράμματα γὰρ ἐξέπεσεν αὐτοῦ, δι' ὧν παρεκάλει Περδίκκαν κτλ.

Diod. §. 3: Demades cum filio interficitur.

§. 4: ὁ δ' Ἀντίπατρος — ἀπέδειξεν ἐπιμελήτην τῶν βασιλέων Πολυσπέρχοντα καὶ στρατηγὸν αὐτοκράτορα — — τὸν δ' υἱὸν Κάσσανδρον χιλίαρχον.

49, 4: Πολυσπέρχων δὲ παραλαβὼν τὴν τῶν βασιλέων ἐπιμέλειαν.

Plut. Phoc. 30. v. 23—28. Demosth. 31. v. 27 sqq.

Phoc. 31. v. 29: Ἐπεὶ δὲ Ἀντίπατρος ἀποδείξας Πολυσπέρχοντα στρατηγὸν, Κάσανδρον δὲ χιλίαρχον ἐξέλιπεν.

32. v. 12: Ἐν τούτῳ δὲ καὶ Πολυσπέρχων τὴν τοῦ βασιλέως ἐπιμέλειαν ἔχων.

De Polysperchontis litteris ad Athenienses datis eadem leguntur apud Diod. cc. 55—56 et Plut. Phoc. 32. v. 12—17; de Nicanore Munychiae ab Casandro praefecto Piraeeumque occupante Diod. c. 64. Plut. c. 31. v. 32—33. c. 32 fin.

Diod. 65, 3: — — *ἦκεν Ἀλέξανδρος ὁ Πολυσπέρχοντος υἱὸς μετὰ δυνάμεως —. οἱ μὲν οὖν Ἀθηναῖοι διέλαβον αὐτὸν ἥκειν ἀποκαταστήσοντα τῷ δήμῳ τήν τε Μουνυχίαν καὶ τὸν Πειραιᾶ, τὸ δ' ἀληθὲς οὐχ οὕτως εἶχεν, ἀλλὰ τοὐναντίον αὐτὸς ἰδίᾳ παραληψόμενος* — —.

Plut. c. 33. v. 23: *Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Πολυσπέρχοντος υἱὸς ἦκε μετὰ δυνάμεως, λόγῳ μὲν ἐπὶ τὸν Νικάνορα τοῖς ἐν ἄστει βοηθήσων, ἔργῳ δὲ τὴν πόλιν, εἰ δύναιτο, καταληψόμενος.*

Hoc quoque loco optime apparet, uno eodemque fonte utrumque usum esse, cum non solum eadem verba reperiantur, sed eadem quoque sententia, oppositis inter se specie atque veritate, apud utrumque sit expressa.

De exitu Phocionis copiosius compluribusque verbis agere Plutarchum, qui de uno hoc viro scribendum sibi proposuerat, paucis verbis Diodorum, qui magis ipsas res gestas illustravit, necessitate quadam cogitur. De summis vero ubique consentiunt, nec non in singulis congruentiae inveniuntur. Contione habita Phocion exilio afficitur: Diod. 65, 6 = Plut. c. 33, 29 sqq. Exulem si Plutarchus statim ad Polysperchontem (Phoc. c. 33. v. 7), Diodorus (c. 66, 1) primum ad Alexandrum, Polysperchontis filium, fugientem, deinde ad ipsum Polysperchontem missum facit, inde diversum vix collegeris fontem. Consentiunt deinde

Diod. 66, 2: *ἀποστείλαντος δὲ καὶ τοῦ δήμου πρεσβείαν πρὸς τὸν Πολυσπέρχοντα τὴν κατηγοροῦσαν μὲν τῶν περὶ Φωκίωνα —.*

Plut. 33. v. 13: *ἔπεμπε πρεσβείαν ὁ δῆμος κατηγορήσουσαν τοῦ Φωκίωνος.*

§. 3: (*Πολυσπέρχων*) *διακούσας δὲ τῶν πρέσβεων* — —

v. 21: (*Πολυσπέρχων*) *τοῖς δὲ Ἀθηναίοις ἀπέδωκε λόγον* —

τοὺς δὲ περὶ Φωκίωνα συλλαβὼν ἀπέστειλε εἰς τὰς Ἀθήνας, διδοὺς τὴν ἐξουσίαν τῷ δήμῳ εἴτε βούλεται θανατοῦν εἴτ' ἀπολῦσαι τῶν ἐγκλημάτων.	c. 34, 10: *Ἐκείνους Κλεῖτος εἰς Ἀθήνας ἀνῆγε.* v. 18: — *ἐπιστολὴ τοῦ βασιλέως — —, λέγοντος — ἐκείνοις διδόναι τὴν κρίσιν.*

Cum in contione de vita Phocionis ageretur, magnum tumultum coortum esse produnt:

§. 5: *τὸ δὲ πλῆθος τοῖς θορύβοις ἐξέσεισε τὴν ἀπολογίαν.*	c. 34. v. 30: *χαλεπῶς καὶ μόλις ἐξακουσθείς* —

De sua salute desperans Phocion pro amicis verba facit: Diod. c. 67, 2 = Plut. 34, 2—5; in vincula deinde conjicitur (Diod.: *εἰς τὸ δεσμωτήριον ἤγοντο*, Plut.: *ἦγον εἰς τὸ δεσμωτήριον*); prosequuntur amici „*ὀδυρόμενοι*“: Diod. 67, 3 = Plut. c. 36. v. 31; mortis illud poculum bibere cogitur: Diod. 67, 6 = Plut. 36, 18; ossa ejus extra Atticam sepelienda esse decernitur: Diod. ib. = Plut. c. 37. v. 2—3.

Narrationis consensionem verborumque congruentiam vidimus, tamen Reussius Plut. capp. 22—28 aliunde fluxisse contendit. Res singulas, narratiunculas illas faceteque dicta aliunde a Plut. petita esse haud negaverim; summam vero narrationis ex alio fonte manasse, ejus rei justum argumentum Reussius attulit nullum. — Causa, qua commotus est homo doctissimus, ut aliunde a Plut. petita haec capita censeat, patet: studet ille quidem demonstrare, ex uno Hieronymo fluxisse quaecunque Diodori Plutarchique capita consentiunt: atqui de Hieronymo in his Plutarchi capitibus cogitare fastis Atticis usurpatis vetamur: ergo consensionem, quam supra demonstravimus, in his capitibus inesse negat. Quod priusquam negaret, illud potius tali offensione oblata quaerendum erat, num re vera fuisse Hieronymum auctorem constaret.

Eadem vero, quam modo exposuimus, ratio intercedit inter Demetrii Plutarchei capp. 8—16 et Diodori l. XX. c. 45—52, quae ex eodem Philochoro petita existimat Reussius, cum ex Hieronymo fluxisse propter Thargelionis mentionem

factam haud veri credat simile. Sed quoniam nondum demonstratum est, fuisse ubique Cardianum ipsum auctorem rerum congruenter traditarum, haec offendendi causa in vanum abit; Philochori vero fragmento a Reussio allato (p. 134) nihil demonstratur, nisi easdem fere res a Demetrio gestas Philochorum tradidisse; verborum congruentia, qua Plutarchum quoque hoc auctore usum esse demonstretur, indagari potest nulla. Neque illud denique Reussium cuiquam persuasurum esse puto, infensum Demetrii animum (cf. pg. 133: die gesinnung gegen Demetrius wird eine ausgesprochen feindselige) inesse in verbis c. 8. v. 5: *εὐτυχίᾳ δὲ ἅμα καὶ προνοίᾳ χρησάμενος*, vel c. 9. v. 27: *φιλανθρώπως ἐντυχών*, vel c. 10. v. 11: *λαμπρὸν ἐν ταῖς εὐεργεσίαις καὶ μέγαν φανέντα τὸν Δημήτριον*, neve in cap. 8 fin. 9 in. 10 in., ubi praedicatur, qui patriam Atheniensibus reconciliaverit rempublicam (*τὴν πάτριον πολιτείαν ἀπέδωκεν. — εὐεργέτην καὶ σωτῆρα προσαγορεύοντες*). De cap. 9 versibus 1—30 dubitari posse haud negaverim, num aliunde petita sint, sed, cum de his rebus nihil apud Diodorum legatur, haec minus ad nostram quaestionem pertinent. Perpetuo vero de summis rebus eundem ab utroque scriptore fontem esse inspectum, doceant verba exscripta:

Diod. 20, 45, 1. *Δημήτριος — παράγγελμα δ' εἶχεν ἐλευθεροῦν πᾶσας — πόλεις, πρώτην δὲ τὴν Ἀθηναίων, φρουρουμένην ὑπὸ Κασσάνδρου.*

§. 2: *Διονύσιος ὁ καθεσταμένος ἐπὶ τῆς Μουνυχίας φρούραρχος καὶ Δημητρίος ὁ Φαληρεὺς ἐπιμελητὴς τῆς πόλεως γεγενημένος ὑπὸ Κασσάνδρου.*

Diod. §. 3: Piraeeus capitur.

Plut. Dem. 8. v. 19 sqq.: *ὁρμὴ παρέστη αὐτοῖς* (Demetrio ceterisque) *ἐλευθεροῦν τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ὑπὸ Κασάνδρου καταδεδουλωμένην.* v. 26: *πρῶτον ἐδόκει πλεῖν ἐπὶ τὰς Ἀθήνας.*

v. 3: *τὸ μὲν ἄστυ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως Κασάνδρῳ διοικοῦντος, ἐν δὲ τῇ Μουνυχίᾳ φρουρᾶς καθεστώσης.*

Plut. v. 5 sqq.: singula accuratius tradit, accuratius etiam Polyaenus IV, 7, 6.

§. 5: Munychia a Demetrio obsessa capitur. 46, 1: *κατασκάψας τὴν Μουνυχίαν ὁλύκληρον τῷ δήμῳ τὴν ἐλευθερίαν ἀποκατέστησε.*

c. 46, 2: — — *γράψαντος Στρατοκλέους ἐψηφίσαντο* — —

βωμὸν ἱδρυσαμένους προσαγορεῦσαι Σωτήρων, πρὸς δὲ τὰς δέκα φυλὰς προσθεῖναι δύο, Δημητριάδα καὶ Ἀντιγονίδα, καὶ συντελεῖν αὐτοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ἀγῶνας καὶ πομπὴν καὶ θυσίαν,

ἐνυφαίνειν τε αὐτοὺς εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλον. ὁ μὲν οὖν δῆμος ἐν τῷ Λαμιακῷ πολέμῳ καταλυθεὶς ὑπ' Ἀντιπάτρου, μετ' ἔτη πεντεκαίδεκα παραδόξως ἐκομίσατο τὴν πάτριον πολιτείαν.

Plut. 10. v. 31 sqq.: *ἐπεὶ* — — *ἐξέκοψε τὴν φρουρὰν καὶ κατέσκαψε τὸ φρούριον* — — *ἀπέδωκε τὴν πάτριον πολιτείαν.*

c. 11. v. 30: *τοῦ Στρατοκλέους* — —, *ἔγραψεν* — c. 10. v. 23: *καὶ τὸν τόπον* — — *καθιερώσαντες καὶ βωμὸν ἐπιθέντες Δημητρίου προσηγόρευσαν, ταῖς δὲ φυλαῖς δύο προσέθεσαν Δημητριάδα καὶ Ἀντιγονίδα.* c. 10. v. 18: *μόνοι δὲ σωτῆρας ἀνέγραψαν θεούς,* — — *ἱερέα σωτήρων ἐχειροτόνουν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· Ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ μετὰ τῶν θεῶν αὐτούς* —. c. 10. v. 6: *Ἀθηναῖοι ἀπολαβόντες τὴν δημοκρατίαν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ, τὸν δὲ μέσον χρόνον ἀπὸ τῶν Λαμιακῶν κτλ.*

Una hac belli Lamiaci commemoratione eodem loco ab utroque addita, luculentissime demonstratur, ex uno eodemque ipso fonte haec omnia fluxisse. — „*Πάτριος*“ illa *πολιτεία*, ut hoc addam, eodem modo commemoratur et ab Diodoro hoc loco, et a Plutarcho in vita Phoc. c. 27. v. 32 et in Demetrii vita c. 8, 18. c. 10, 3.

46, 4: *Ἀντίγονος δὲ* — — *πρεσβευτῶν . . . ἀναδόντων . . . ψήφισμα . . . περὶ ξύλων εἰς ναυπηγίαν* — *ἔδωκεν αὐτοῖς πυροῦ μὲν μεδίμνων πεντεκαίδεκα*

Plut. Dem. 10. v. 3 sqq.: *καὶ προσυπέσχετο παρὰ τοῦ πατρὸς (Ἀντιγόνου) αὐτοῖς ἀφίξεσθαι σίτου πεντεκαίδεκα μυριάδας μεδίμνων καὶ ξύλων ναυπηγησίμων*

μυριάδας, ὕλην δὲ τὴν ἱκανὴν ναυσὶν ἑκατόν.	*πλῆθος εἰς ἑκατὸν τριήρεις.*
Diod. 47, 1: *ὁ δὲ Δημήτριος — — ναῦς καὶ στρατιώτας προσλαβόμενος, διέπλευσεν εἰς τὴν Κύπρον.*	Plut. Dem. 15, 5: *προσλαβὼν δύναμιν ἐπέπλευσε Κύπρῳ.*
ib. 3: de proelio cum Menelao commisso.	Plut. Dem. 15. v. 6—7.

De pugna navali apud Salamina quo modo facta sit consentiunt Diodorus 49—52 et Plutarchus Dem. c. 16 et Polyaenus IV, 7, 7; exstant quaedam numerorum discrepantiae, sed cum vix dijudicandum sit, quid ipsis scriptoribus, quid librariorum incuriae tribuendum sit, non jam tantas esse censeo, quibus tota haec capita aliunde petita esse efficiatur.

Congruentiae igitur perpetuae adsunt; differentiae majores exstant nullae. Jam si, ut certo nisi exemplo in dijudicanda hac quaestione versemur, comparamus Plutarchei Arati capp. 47— fin. cum Polybii libris 4, 5, 8, 24, dubitari non potest, quanquam rarae exstant ipsorum verborum congruentiae atque e diversis fontis partibus collecta sunt, quae in unum composuit Plutarchus, quin ex ipso Polybio ille hauserit; qua ex re apparet, eo modo illum composuisse hanc vitam, ut non ipsis oculis subjectum habuerit Polybium auctorem, sed antequam scripserit, complures ejus libros perlegerit mandaritque memoriae, quaecunque ad suum maxime spectarent virum, quo factum est, ut scribens non tantopere ipsius auctoris verba premeret quam res ex diversis fontis sui partibus petitas artissime in unum conjungeret. Similem rationem intercedere videmus in hac Demetrii vita inter Diodorum et Plutarchum, eo interposito discrimine, quod non ipse Diodorus a Plutarcho, sed idem fons ab utroque exscriptus esse potest, qua de causa tantam exstare verborum congruentiam vix expectaveris; quae cum tamen adsit etiam de singulis propriisque rebus (cf. belli Lamiaci commemorationem), vix dubitari potest, quin eodem uterque usus sit fonte.

Quae cum ita sint, ut sub unum conspectum subjiciamus eos locos, quibus ex uno eodemque fonte fluxisse Diodori, Plu-

tarchi, Nepotis, Polyaeni narrationes maxime appareat, haec sunt:

Diodorus	Plutarchus	Nepos	Polyaenus
	Eum. c. 1. v. 2—11. 14—15.	Eum. c. 1, §. 4—6	
XVIII, 2, 4		2, 1—2	
3, 1	3, 13—16	2	
8, 6	Alex. 49, 2—5		
14, 4	Eum. 3, 22—25		
	Phoc. 23, 13—17		III, 12, 1
	24, 15—27		12, 2
14, 5. 15	25, 11—15		
16, 1—3. 22, 1	Eum. 3, 15—19		
	4, 25 sqq.	2, 3	
16, 4. 17	Phoc. 26, 16—27		
18	22—27, 30		
29, 1—2	Eum. 5, 11—19	3, 1—2	
3. 30, 1	4, 1—3	6 extr.	
29, 4	5, 23		
6	31—1		
7	6 in.		
	7, 5—7	3, 4	
30, 5	16—23		
4		3, 3	
31, 1—5	25—14	4, 2	
32, 1—4		3	
	18—24	4	
37, 1—2	8, 31—5	5, 1	
39, 7. 40, 1	5—7		
40	9, 13—17		
8	25—17		IV, 8, 5
41, 3	10, 30		
6	2		
2	11, 11		
42, 3—5	9—2	5, 4—6	
48, 1—3	Phoc. 30, 15—28		

Diodorus	Plutarchus	Nepos	Polyaen.
XVIII, 48, 3	Demosth. 30, 27 sqq.		
4. 49, 4.	Phoc. 31, 29. 32, 12.		
50, 2 in.	Eum. 12, 7		
4	9		
53, 6	25		
55—66	Phoc. 32, 12—17		
57, 3	Eum. 13, 5		
58, 1	31, 7—10		
2	2	Eum. 6, 1	
4		5	
60—61	10 sqq.	7, 2	IV, 8, 2
62—63	8, 29		
64	Phoc. 32 extr.		
65, 3	33, 23		
6	29		
66, 1	7		
2 sqq.	13, 21.		
	34, 10. 18		
67, 6	36, 18. 37, 2—3		
72, 2			6, 8
XIX, 14, 4—5		7, 1	
15, 4	Eum. 13. v. 9		
1—5	10 sqq.	7, 2	
18, 3	14 in.		
7	32		
22, 1	4 sqq.		
23, 2—3			8, 3
24, 2—3	13, 13 sqq.		
4—6	14, 9 sqq.		
30—31		8, 1	
32, 1—2			6, 10
34, 7, 8		8, 1. 4	
37		8, 4	6, 11
38	15 med.	9, 3 sqq.	8, 4
43, 1	Eum. 16. v. 17 sqq.		6, 13
	18, 19	11, 1	
	29	11, 3—5	

Diodorus	Plutarchus	Nepos	Polyaenus
XIX, 44, 2 sqq.	Eum. 19, 13 sqq.	13, 4	
46, 2			IV, 6, 14
48, 3—4	19, 16 sqq.		6, 15
55	Demetr. 7, 3—4		
69 in	5. v. 18 sqq.		
80—84	25		
85, 3	v. 26. 30		
93, 2	6, 12—20		
3 in. 7 extr.	23. 27 sqq.		
94, 1. 96 extr.	7, 30 sqq.		
98 in.	2—3		
(55. 90. 91. 100	3—4)		
100, 7	5 sqq.		
XX, 45, 1	8, 20		
2	3		
3	5		7, 6
4	9, 27—32		
5	10, 31		
46, 2	18 sqq. 11. 30		
3	6. 3		
47, 1	15, 5		
3	6—7		
49, 2	16, 20		7, 7
50, 1	23		
51—52	28		
52	1		
53, 1	17, 22		
2 sqq.	18, 17 sqq.		
73, 1—2	19 in.		
81. 85. 91	21, 25		
91, 2	26		
92, 3. 4	20, 10. 19, 27		
5	5—10		
93, 4	22, 19 sqq.		
102, 2—3	25, 28—29		
103	22		
109	28		

Diodorus	Plutarchus	Polyaenus
XXI, 1. 4 al. 2	Demetr. 29, 27	
12, 2 p. 559	52, 26	
12, 3	39, 5	
14 p. 491	40, 30—2	
20 p. 561	51, 30. Pyrrh. c. 12	
	39 in.	IV, 7, 11
	46	7, 12
	49	9, 2
7, 1	36, 15. Pyrrh. 6, 15	
2	Pyrrh. 7, 14	
XXII, 8. 10	c. 22—23 [17])	
11	26, 4—15	
12	17—24	

Plut. Pyrrh. 6—12 = Demetr. 36—37. 40—41. 43—44. 46 [18]).

Quibus locis ad verbum plerumque consentientibus comparatis dubium esse non potest, quin unus idemque fons continue exscriptus sit a Diodoro, Plutarcho, Cornelio, Polyaeno. Apparet vero, non eos solum locos, quos singulos ex continuatione serieque rerum excerptos retulimus, sed omnes narrationis partes, quae arte cum his cohaerent, uni huic fonti deberi. De Arriano, Justino ceterisque modo similia referentibus, modo dissimilia, utrum consentientes eodem ipso atque illi fonte usi sint, an longinquiore quadam auctorum cognatione congruentiae narrationum explicari possint, non hac dissertatione propositum est disputare. Hoc loco id satis habeo effecisse: de summis rebus ab successoribus Alexandri magni gestis et Diodorum et Plutarchum et Nepotem et Polyaenum uno atque eodem usos esse auctore.

---

[17]) cf. Collmann, De fontibus Diodori Siculi, Marburgi 1869. p. 62.
[18]) cf. Müllemeister l. c. 13. 14.

III.

Jam num ipse Hieronymus fuerit auctor quaerendum est. Reussius quidem ipsum Cardianum ab omnibus exscriptum censet, maxime scriptorum consensione nisus; quam cum nimis audacter ab illo affirmatam supra demonstraverimus, necesse est ita statuamus: si Diodorus, Plutarchus, Nepos usi sunt Hieronymo, Justinum ceterosque alios exscripsisse auctores, quibus res illas diverse traditas debent; sin Justinus redolet ipsum Cardianum, Diodorum ejusque satellites aliunde hausisse.

Atque si in universum dissentientium inter se scriptorum partes comparamus, semel atque iterum apparet, plerisque locis, ubi perpendendae sunt narrationum discrepantiae accuratiora atque veriora commemorari ab Justino, Arriano, Pausania, Appiano, Porphyrio. Quodsi accuratissima rerum cognitio sane suppetit ei, qui ipsis rebus fuit suppar, quicunque accuratiorem praebent rerum narrationem vel ex ipso hoc fonte videntur hausisse, vel sane propius ad eum accedere, quam qui minus claram interdum ostendunt rerum scientiam.

Jam vero ipsis Diodori verbis accurate consideratis vetamur, ne de Hieronymo ipso auctore cogitemus, verbis l. XVIII. c. 50, 4, ubi Hieronymus legatus ab Antipatro Noram missus dicitur his verbis: „*τοῦτον δὲ μεγάλαις δωρεαῖς*[19]) *προκαλεσάμενος ἐξαπέστειλε πρεσβευτήν.*“ Jam Roesigerus acute animadvertit, summum his verbis contineri momentum: namque patet, ipsum Hieronymum non scripsisse mercede sese esse conductum, quibus verbis pecunia venalem sese ipse posteritatis memoriae fuisset proditurus [20]).

[19]) Illa significationis differentia a schol. in Aristoph. av. 510 proposita (*ἔστι δὲ δῶρα μὲν τὰ ἐπὶ δωροδοκίᾳ διδόμενα, δωρεὰ δὲ ἐπὶ τιμῇς*) in Diod. non valet, apud quem — quantum equidem memini — „*δῶρα*“ nusquam legitur; *Δωρεαὶ* ad corruptelam datae commemorantur ex. gr. XVI, 3, 4.

[20]) In eo vero Roesigerus plane erravit, quod ex diverso, quod discerni posse putabat, Antigoni, Ptolemaei, Seleuci studio, a Diodoro prae se lato, tres diversos fontes ab illo collatos esse concijiebat: eosdem enim diversos fontes eodem semper loco Plutar-

Deinde si affirmat Pausanias de Hieronymo scriptore: *οὗτος ἔχει μὲν καὶ ἄλλως δόξαν πρὸς ἀπέχθειαν γράψαι τῶν βασιλέων*, hujus rei neque in eis, quae ab Diodoro neque ab Plutarcho traduntur, ne species quidem inveniri potest minima, a quibus et Ptolemaeus (cf. XVIII, 14, 1. 28 extr. 33, 3. 34, 4. 36. XIX, 55. 86 al.) et alii immoderatis fere interdum laudibus efferuntur. Sed dicat quispiam Pausaniae verbis ut calumniosis nullam fidem esse habendam [21]). Cujus rei causa nulla afferri potest nisi praejudicata illa temereque concepta opinio, Hieronymum jam eam ob causam, quia suppar fuit rebus, non solum optima rerum cognitione fuisse instructum, sed etiam de omnibus rebus sine ira atque studio verissima prodidisse. Ne de fide Cardiani ex ipsa ejus vitae ratione feramus judicium [22]), hoc ipso loco num jure a Pausania sit accusatus, examinemus. Tres scriptores ossa regum Macedonum improbe ex sepulcris evulsa nefarie dissipata esse tradiderunt: Hieronymus (Paus. I, 9, 9) Lysimachum tale facinus edidisse scribit, Plutarchus (Pyrrh. 26, 17– 24) et Diodorus (XXII, 12) consentientes atque ex eodem fonte, quod ipsa verba collata luculentissime demonstrant, posterioribus temporibus Gallos barbaros. De ipso facinore dubitari non potest: quaeritur, quo modo factum sit, ut discrepent scriptorum sententiae de auctore. Jam constat, Hieronymum infestissimum fuisse Lysimacho, qui Cardiam urbem, Hieronymi patriam, funditus deleverat novamque pro ea urbem Lysimachiam condiderat; constat non solum ex ipso Pausaniae testimonio, confirmatur

---

chus atque Nepos contulissent. Atque diversum, quod exstare videtur, virorum studium, si accurate rem consideraveris, ex uno domus regiae studio atque amore ducendum est; qua de re, cum accuratius Nitschius jam disseruerit (l. c. p. 14. 16), quae ipse equidem antea conscripseram non opus videtur afferre. — Neque illud hoc loco praetermittendum est, etiam in eo errasse et Roesigerum et Müllemeisterum, cum ex Pausaniae locis I, 9, 8 et 13, 9 subsidium sententiae suae peterent; nam si accurate totum caput 13 perlegissent, animos eorum non effugisset, his locis non de Monoculo, quem dicunt, Antigono, sed de nepote ejus, Gonata, agi.

[21]) Nitschius, l. c. p. 14.

[22]) quod fecit Müllemeisterus p. 7, contra quem disputavit Reussius p. 155.

etiam eo, quod et Justinus et Pausanias, qui propius ad ipsum Hieronymum accedere videntur, compluribus locis (cf. Paus. I, 9, 9. 10, 3. 4. Just. 17, 1, 2—8 al.) apertissime infensum hunc Lysimacho animum redolent. Veri igitur haud videtur dissimile, recte judicasse Pausaniam, cum odio perductum Cardianum maledixisse Lysimacho conjiceret; apparet vero, haud ita fidum auctorem habendum esse, qui ex suo odio fingat res gestas neque injustum nunc videtur Pausaniae de eo judicium.

Sed ut ad nostram causam redeamus, cum et apud Pausaniam et apud Justinum Hieronymi inimicus Lysimacho animus inveniatur, nihil ejusmodi legitur neque apud Diodorum neque apud Plutarchum, qui omnino nullo loco (inde a libro XVII. Diod.) Cardiae urbis mentionem faciunt, — quod per mihi mirum debet videri, si re vera homo Cardianus fuisset auctor. Occasio enim commemorandae urbis non defuit: Lysimachiam urbem a Lysimacho conditam etiam Diodorus tradidit sed simpliciter recteque sine ira atque studio, de Cardia vero deleta nihil scribit (XX, 29, 1), quem Diodori locum non cum Reussio (p. 106) ad demonstrandum, sed potius ad refutandum Hieronymum auctorem usurpaveris.

Atque quod est gravissimum ad hanc quaestionem: et Diodorum et Plutarchum in eis rebus, quas congruenter tradunt, abhorrere vidimus ab Hieronymi narratione, quare jure colligas, in omnibus, quae convenienter traduntur ab his scriptoribus, Hieronymum non fuisse auctorem, nisi sumeres mutatos ab illis esse auctores et eodem semper narrationis loco, et ita, ut tacite consentientes eundem alterum exscriberent auctorem.

Quibus de Cardiano Diodori auctore dubitationibus addenda est ultima. Complura a Diodoro in his libris tradita sunt, cum de rebus Graecis tum de rebus Atheniensium (cf. XVIII, 8—18. 24. 25. 48. 64—72. 74. 75. XIX, 53. 54. 63. 64. 67. 68. 74. XX, 45—49. 110. 112); ex eodem fonte nonnullas Phocionis Plutarchei partes fluxisse supra demonstravimus. Uberrime his capitibus res Graecae quo modo processerint exponuntur; acuratissime de rebus Atheniensium agitur. Hieronymus vero nihil nisi *τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας*

composuit, quas cum scriberet, etsi breviter perstringere debebat res Graecas, tamen num tanta cura atque diligentia de his egerit, valde licet dubitare. Illud sane neque ullo ipsius fragmento neque alius scriptoris testimonio evinci potest, etiam de rebus Atheniensium accuratius illum egisse, de quibus summam singularum rerum scientiam praebuisse Diodori auctorem non ex eo tantum cognoscitur, quod accurate a Diodoro referuntur plebiscita, epistulae, res apud contionem actae (XVIII, 8. 10 sqq. 58. 62. 66 sqq.) neque leges Atheniensium ignorantur (cf. 18, 2. 10, 2), sed ex eo potissimum intellegi potest, quod Plutarchus in describenda vita virorum Atheniensium hunc ipsum sibi elegit auctorem. Qualis num fuerit Hieronymus cum per se valde jam liceat in dubium vocare, augentur dubitationes, si ceteros scriptores, quos non ex eodem fonte atque Diodorum hausisse sed propius ad Hieronymum accedere supra diximus, comparaveris. Nam et Justinus et ceteri de rebus Graecis exigue multoque brevius agunt, vel si agunt, permulta turbantur falsaque referuntur; de rebus Atheniensium nihil fere apud illos inveneris. De bello Lamiaco pauca atque perversissima legi apud Justinum, jam demonstravimus, Arrianus perpauca de his rebus tradidit §. 9 extr. 12; de eis, quae capitibus 17. 18. 24 a Diodoro referuntur, nihil legitur neque apud Justinum neque Arrianum. Unus Pausanias c. 25 plura prodidit: sed ex Hieronymo fluxisse hoc caput, ejus rei ne minimum quidem afferri potest argumentum — nam hoc Reussio vix credideris, quia caput 6, 7, alia, quibus de rebus in Asia gestis agitur, ex Hieronymo desumpta videntur, hoc quoque caput. quo res Graecae traduntur, ex eodem fluxisse debere. Nam utrum ex verbis (25, 6) *τὰ δὲ ἐς Ἀθηναίους ἐπέξεισί μοι μόνα ὁ λόγος* jure colligendum sit „dass Pausanias auch eine die geschichte der Macedonier umfassende quelle benutzte (R. p. 55)“, an talem potius ei in manibus fuisse fontem, qui de Graecis tantum rebus ageret, de hac re valde credo potest dubitari. Sed haec minoris momenti sunt. Constat tacere de rebus Graecis Justinum ceterosque: nihil neque Arrianus neque Justinus neque Pausanias de Crateri Antipatrique contra Aetolos bello Antigoni adventu interrupto (Diod. XVIII, 24. 25);

nihil illi praeter Arrianum de Demade Atheniensi ad Antipatrum legato (Diod. 48. Plut. Phoc. 30. Demosth. 31), neque de Nicanore Munychiae praefecto (Diod. 64); nihil de Phocionis morte nec de eis, quae apud contionem acta compluribus verbis enarrantur a Diodoro (XVIII, 64—72. 74. 75) et a Plutarcho (Phoc. 32—34. 36. 37) nec non a Polyaeno (IV, 8, 2. 6, 8). De rebus a Cassandro in Boeotia (Diod. XIX, 53. 54), in Peloponneso (63. 64) gestis, de rebus Aetolicis (66. 68), Sicyoniis (67), Peloponnesiacis (74), quas artissime rerum in Asia gestarum ordini inseruit Diodorus, tacet cum ceteris Justinus; res denique a Demetrio in Graecia maximeque Athenis praeclare gestae, accuratissime relatae a Plutarcho (Dem. 7—11. 15—16) nec praetermissae a Diodoro (XX, 45 sqq.) Justini aliorumque scriptorum silentio obruuntur.

Quae cum ita sint quod per se jam videbatur veri simillimum collatis his scriptoribus magis etiam confirmatur; atque non solum nullo modo probari potest, etiam de rebus Graecis copiosius atque uberius egisse Hieronymum, sed valde debet dubitari atque pernegari. Atque si quis etiam velit dubitare, num de rebus Graecis diligentius scripserit Hieronymus. hoc certe inter omnes constat, de rebus ab ipso Alexandro gestis non egisse Cardianum. Fontem vero, quo usus est Diodorus, eum fuisse, unde non solum de rebus Graecis sed etiam de rebus ab ipso Alexandro gestis idonea hauriri possent, docet locus Plut. Alex. c. 49 comparatus cum Diod. XVIII, 8, 6, ubi summa ipsorum verborum congruentia unum eundemque auctorem esse exscriptum demonstratur; quem non fuisse Clitarchum ex eo apparet, quod Plutarchus in cap. 49 saepissime de rebus singulis ab Diodoro XVII, 79 et ab Curtio VI, 7 plane eodem modo traditis dissentit.

Jam si concedis, ex Hieronymo haustas non esse res Graecas Atheniensiumque copiosissime a Diodoro enarratas, illud quoque statui debet, ex eodem derivari non posse res in Asia gestas, quae ex diversis fontibus fluxisse omnino non possunt neque adhuc quisquam affirmavit. Namque primum Plutarchum Phocionis vitam conscribentem ex eodem fonte hausisse demonstravimus atque Diodorum. Quare nisi

sumeres, eodem fonte usos esse Diodorum atque Plutarchum de rebus ab successoribus in Asia, eodem alio fonte de rebus ab eisdem in Graecia gestis, atque ita semper fontes ab illis mutatos esse, ut nescio quo consilio tacite consentientes de eisdem rebus eundem ubique inspexerint fontem, concedi debet, ex uno eodemque fluxisse omnia. Deinde si ipsam Diodori consideras narrationem, negari non potest, artissime inter se conjunctas esse necessarioque sese excipere res Graecas atque Asiaticas; nam nisi libidine quadam ipsius Diodori divisa non esse *τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν* et *κατὰ τὴν Εὐρώπην* luculentissime apparet, modo conferas Diodori l. XVIII. c. 25, vel 14 et 16, 48, 49, 57, 64 — fin., alia permulta; res optime inter se concordant, artissime cohaerent, nullae narrationis differentiae, nullae res diverse traditae vel acceptae cernuntur. Necesse omnino est, ex uno fonte fluxisse res Graecas atque res Asiaticas; atqui res Graecae Hieronymo tribui non possunt: de Asiaticis igitur idem auctor non fuit Diodoro.

Jam contraria ex parte quae ad probandum Hieronymum allata sunt examinemus. Quater apud Diodorum (XVIII, 42, 1. 50, 4. XIX, 44, 3. 100, 1), bis apud Plutarchum (Eum. c. 12. v. 9. Demetr. c. 39. v. 1), Hieronymi nomen legitur; sed (cum Reussio p. 101 aliisque) ad probandum auctorem his locis nihil proficimus, cum nusquam auctor laudetur H., sed omnino de rebus ab illo gestis simpliciter tradatur, atque ita tradatur D. XVIII, 50, 4, ut de ipso H. auctore cogitari nequeat. Auctor H. ab hisce scriptoribus non laudatur nisi in una Pyrrhi vita: sed re vera hoc loco ipsum H. a Plutarcho inspectum esse, sola nominis laudatione non jam cogi sciunt quicunque diligentius has quaestiones tractaverunt. Atque adesse in hac vita causas, propter quas dubitare licet, num ipse H. a Plutarcho exscriptus sit, fragmentum H. supra allatum demonstravit; alias causas contulit Müllemeister, cum quo de H. non auctore consentio, dissentio de Timaeo, cujus indicia firma allata non sunt.

Deinde ad comprobandum H. auctoritatem diligentissime Reussius singula collegit (p. 108 sqq.), ut aequalis auctoris vestigia apud posteros latere ostenderet, atque hoc modo pri-

mus ille quidem veterem istam de H. Diodori auctore sententiam, quam adhuc certo fundamento nondum nisam demonstravit Rösiger (p. 53 sqq.), certis rationibus subductis confirmare studuit. Tamen hoc homo doctissimus mihi concedet: etsi permulta indagari possunt apud posteriorem scriptorem, quae aequalis calamum redolere videntur, tamen tali causa non jam necessario effici, ipsum illum esse exscriptum, cum per alterius quoque manum perferri possit accurata temporum praeteritorum cognitio. Quare si comprehendis quaecunque aequalis auctoritatem redolent (p. 109 sqq. a Reussio collata, res geographicas, p. 111, 90 sqq. studium quoddam militare, p. 85 sqq. 111, alia), haec omnia ita comparata sunt, ut veri fiat simillimum, fundamentum narrationis in aequali scriptore esse positum, non tamen demonstretur, ipsum illum esse inspectum. Neque leviora talia ad demonstrandum ipsum H. auctorem valent ut cognitio quaedam rerum Cardianarum (R. p. 108, quae num ex Pl. Eum. c. 3 tanta possit demonstrari dubito, contra illud repetendum, nullo loco, etsi data erat occasio, Cardiae urbis mentionem fieri neque a Plut. neque a Diod.); vel ut diversum singulorum ducum studium (R. ib.), quod rectissime ex uno domus regiae studio explicandum esse demonstravit Nitschius (p. 14 sqq., quo etsi ex uno auctore omnes has res a Diod. esse haustas veri fit simillimum, tamen H. non jam efficitur); vel ut repetitiones rerum, quas non in his solum libris (R. p. 114), sed etiam in aliis saepissime a Diod. factas inveneris, ita ut non ex fonte pendeant, sed ex ipsius Diodori consuetudine.

Jam restant gravissima: fragmenta ipsa, quae addito Hieronymi nomine ab aliis scriptoribus servata ad nostram aetatem pervenerunt. Quibus comparatis tantum esse consensum, ut ullo loco ipsum Cardianum a Diodoro esse usurpatum efficiatur, plane debet negari; illud quidem cogitur, generaliter atque universe consentire Diodorum, ita ut, cum accedant ea, quae aequalis scriptoris vestigia indicant, sumamus necesse sit, Plutarchum Diodorumque, quos ex ipso Hieronymo non hausisse jam demonstravimus, Hie-

ronymi verba accepisse perlata per alterius scriptoris manum.

Sed ut ad singula accedamus: a Moschione servata sunt haec (C. Müllerus, frgm. 1): „Ἱερώνυμος ἐπὶ τῇ κατασκευῇ τῆς ἁρμαμάξης, ᾗ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα (sc. θαυμαζέτω)"; ex quibus paucis verbis si quis extra dubitationem positum esse censet, tria Diodori capita (XVIII, 26—28) fluxisse ex ipso Hieronymo (Reuss. p. 103) satis audacter temerarieque eum agere quis est quin videat.

Et si cum Hieronymo (ap. App. Mithr. 8. C. Müller. frg. 1a) de itinere Alexandri magni consentiunt Diodorus (3, 1), Plutarchus (Eum. 3), Cornelius (Eum. 2), hac ex re illud quidem jure colligi posse mihi videtur, ex principe Hieronymo pendere illorum consensionem: id vero nulla, ne minima quidem verborum similitudine comprobatur, ipsum Hieronymum ab illis esse exscriptum. —

Lucianus (Macrob. 13. C. M. fr. 2), Hieronymi secutus verba, Ariarathen a Perdicca cruci affixum scribit; de re ipsa non dissentit Diodorus (XVIII, c. 16): tamen generali rerum traditarum consensione non jam eundem fontem effici constat; singularis vero verborum vel elocutionis similitudo ostendi potest nulla (cf. H. ἀνεσκολοπίσθη. Diod. αἰκισάμενος ἀνεστάυρωσε). —

Deinde Hieronymi verba apud App. Mithr. c. 9 exstant, ex quibus luculentissime tota rerum condicio apparebit. Reussius cum verbis Hieronymi: εἵλοντο εἶναι πολέμιον (Eum.) contulit App. Syr. c. 53: ψηφισαμένων πολέμιον, Just. 13, 8, 10 „hostis appellatur"; addere debebat Arr. 39: πολέμιος ἐψηφίσθη. Contra Diod. c. 37, 1 = 59, 4 = 60, 1 = 62, 1 = XIX, 12, 2: κατέγνωσαν αὐτοῦ θάνατον; Plut. Eum. c. 8: θάνατον .... κατέγνωσαν; Nep. Eum. 5: „capitis .... damnantur." Apparet, quod supra jam diximus, plane cum Hieronymo consentire Justinum, Arrianum, Appianum, de re quadam pusilla, discrepare Diodorum, Plutarchum, Cornelium inter se illos consentientes, quod ipso casu factum esse omnino nequit; atque accuratissime sui quemque auctoris verba semper servasse ex eo in-

tellegitur, quod diversis locis Appianus bis, Diod. quinquies eadem premit verba. —

Si deinde Reussius aliique Diod. XVIII, 42, 1. 50, 4. Plut. Eum. 12 ex Hieronymo fluxisse censent eam ob causam, quia narratur de legatione Hieronymi, tales causas ad demonstrandam ipsam auctoritatem non jam sufficere, quis est quin videat? Atque supra jam exposuimus, ipsis cp. 50. §. 4 verbis aperte declarari, ipsum Hieronymum non fuisse auctorem. Qua de causa apparet, omnibus his locis, ubi simpliciter quid fecerit Hieronymus proditur, ad probandum ipsum auctorem nihil profici posse.

Summum argumentum ex fragmento illo primum a Dindorfio in edit. Diod. I. p. LXXVIII. a. 3 expresso arcessitur, quo de lacu salso in Nabataeorum finibus sito tradidisse dicitur Hieronymus; similia referuntur a Diodoro XIX, 98 et 99. Illud quidem hoc fragmento feliciter in lucem edito demonstratur, ex Hieronymo accuratius de his rebus exponente pendere Diodorum: illud vero nullo modo patet, ipsum Hieronymum a Diodoro esse exscriptum. Valde dolendum est, quod num integre servata sint ipsius Hieronymi verba dubitari potest; quae si essent, certissimum edi posset argumentum, non ex ipso Hieronymo hausisse Diodorum. Consentit enim cum Diod. XIX, 98. 99 ad verbum ejusdem l. II. c. 48. Jam cum haud veri videatur simile, ipsa sua verba l. II, 48 hoc loco repetivisse Diodorum, sed potius, oblitum expositionis in priore libro jam factae, ex eodem fonte hoc loco exscripsisse, quaerendum est, unde ortae sint discrepantiae ab verbis Hieronymi, quae et II, 48 et XIX, 98 plane eodem modo occurrunt. Illud omnino credi non potest, Diodorum, si ante oculos habuisset Hieronymi libros, exscribentem duobus locis eadem semper auctoris verba eisdem verbis commutasse, eadem utroque loco de suo addidisse:

Hieron.:	Diod. II, 48, 7:	Diod. XIX, 98, 1:
λίμνη πικρά	*τὸ δ' ὕδωρ δυσῶδες καὶ διάπικρον*	*τὸ δ' ὕδωρ ἔχει διάπικρον καὶ καθ' ὑπερβολὴν δυσῶδες.*

Hieron.:	Diod. II, 48, 7:	Diod. XIX, 98, 1:
ἐν ᾗ οὔτ' ἰχθῦς οὔτ' ἄλλο τι τῶν ἐνύδρων ζῴων γίνεσθαι.	ὥστε μὴ δύνασθαι μήτε ἰχθῦν τρέφειν μήτ' ἄλλο τῶν καθ' ὕδατος εἰωθότων ζῴων εἶναι.	ὥστε μήτ' ἰχθῦν δύνασθαι τρέφειν μήτ' ἄλλο τῶν καθ' ὕδατος εἰωθότων ζῴων εἶναι.

Quae verborum differentiae explicari non possunt, nisi sumis non ex ipso Hieronymo hausisse Diodorum, sed verba ejus accepisse per alius scriptoris manum jam mutata, quae duobus locis plane eodem modo descripsit. Hoc certe, etsi quis dixerit H. verba fragmento illo non accurate expressa esse, constat, non tantam esse verborum consensionem, ut ex ipso Hieronymo hausisse Diodorum efficiatur; illud negari nequit ex principe Hieronymo pendere hanc expositionem, verique videtur simillimum, si quidem aliqua ex parte fragmento illo a Tychsenio allato ipsius Hieronymi oratio expressa est, per alium scriptorem perlata utroque loco Diodorum accepisse Hieronymi verba. —

De fragmento a Luciano Macr. 13 = C. M. fr. 3 servato eadem valere, quae de ceteris adhuc disputavimus, facile intelleges: quocum si confert Reussius Diod. XX, 111, 4 omnis congruentia eo continetur, quod ab utroque mortem obiisse dicitur Mithridates, cum alter 84 annos eum vixisse alter per 35 annorum spatium regnasse illum addat. —

Jam ut cum Appiani cap. 9 plane congruat Plut. Demetr. c. 4 in universum quidem consentiens, in eo elaborandum est, ut minores quaedam discrepantiae, quas deformationes a Plutarcho factas dicit Reussius (p. 105) tollantur, quibus sublatis efficitur consensio. Sed cum jam tot vestigiis manum quandam intercedentem indicari viderimus, nonne dubitare licet, utrum Plutarcho, an intercessori illi tribuendae sint discrepantiae? Illud certe, non jam evincitur ex ipso Hieronymo fluxisse Plut. Demetr. cap. 4. —

Hieronymus deinde (ap. Luc. Macrob. 11 = C. M. fr. 4) Antigonum Gonatam contra Seleucum Lysimachumque pugnantem vulneribus obrutum cecidisse prodidit 82um agentem aetatis annum; quodsi Diod. XXI, 1, 4 eundem cum quatuor

regibus belligerantem vulneratum occidisse scribit neque Plut. Demetr. 29 vulnera ejus praetermittit, generalis exstat consensio, singularis causa, qua necessario ad Hieronymum fontem ducamur, reperitur nulla. —

De tribus denique fragmentis illis a Strabone servatis (C. M. fr. 5. 11. 12), etsi locus inveniri potest, quo de his rebus egerit Hieronymus (cf. Reussius p. 107), tamen nihil simile neque apud Diodorum neque apud Plutarchum legitur, ita ut magis etiam contra Hieronymum auctorem, quam pro eo faciant. De Hieronymo a Plutarcho laudato (C. M. fr. 7—9) quid judicandum sit, supra jam disputavimus. Fragmentum a Pausania I, 9, 9 (C. M. fr. 6) proditum, a quo abhorrere et Diodorum et Plutarchum demonstratum est, Reussius quidem omnino non attulit neque Paus. I, 13, 9 (C. M. fr. 10), neque Joseph. c. Apion. 1050E (C. M. fr. 13), ubi acerbis verbis fides atque auctoritas Cardiani in dubium vocatur, commemoravit.

Quae cum ita sint, illud jam demonstrasse mihi videor: Hieronymi vestigia quaedam deprehendi apud Diodorum, ea vero, quae non ipsum Hieronymum exscriptum declarent, sed ita comparata, ut per alium scriptorem perlata verba ejus accepisse ostendant Diodorum, Plutarchum, Cornelium, Polyaenum consentientes inter se illos.

Graviora, quae ad defendendam Hieronymi auctoritatem protulit Nitschius, ex prima statim fronte rem dijudicanti videri possunt [23]), sed infimas rerum causas indaganti evanescunt atque dilabuntur.

Ut omittam leviora ea, quae a Brücknero aliisque jam prolata, refutata a Roesigero aliisque, novo quasi lumine illustravit Nitschius: argumentum plane novum homo doctissimus petivit ex ipsis vocabulis, quae leguntur apud Diodo-

---

[23]) ita, ut ipse Droysenius nuperrime (Hermes XI, p. 464) haud accurate tota rerum condicione circumspecta Nitschii auctoritatem secutus sit.

rum. Nam concedens ille quidem, rectissime a Roesigero demonstratum esse, res ab Agathocle gestas, quae eisdem his libris continentur, ex Duride Samio fluxisse, tales ipsius sermonis vel potius singulorum vocabulorum, quibus in enarrandis rebus Agathoclis, atque eorum, quibus in rebus ab successoribus Alexandri gestis usus sit Diodorus, intercedere dicit discrepantias, ut ex uno eodemque fonte hae librorum partes fluxisse nequeant; quodsi ex Duride Samio non fluxerint res ab suceessoribus Alexandri gestae, nullum jam relinqui auctorem nisi Cardianum.

Quae etsi acute excogitata, atque summa diligentia collecta sunt vocabula illa (pg. 10. 12. 17 a. 23 a. 24 a. 25 a. 31 a. 32), tamen ad irritum cadere totam diversitatum demonstrationem ab illo institutam necesse est; quin etiam si esset recte instituta, tamen alias propter rationes neque Duridem auctorem jam esse refutatum neque comprobatum Hieronymum me demonstraturum spero. Nam ut omittam singula [24]); omnino totam hanc viam atque rationem indagandi fontis — non dico in universum, sed quo

---

[24]) in quibus nonnumquam erravit Nitschius: nam si dicit p. 10 vocabulum *δημαγωγεῖν* non inveniri in rebus ab Agathocle gestis, bis tamen exstat et XIX, 5, 5 et XIX, 9, 6; si dicit (p. 10) elocutionem *ὡς δ' οὐδεὶς προσεῖχεν* et *οὐδενὸς δ' αὐτῷ προσέχοντος* „non inveniri nisi in rebus ab successoribus gestis" plane erravit: sexcenties legitur aliis locis (cf. XII, 30. 45. 51. 83. XIV, 14. 17. 53. XV, 5. 13. 30. 78 al.) atque in rebus ab Agathocle gestis: XIX, 3, 5: *οὐ προσεχόντων τῶν Συρακοσίων.* — Nonnumquam speciosiora magis protulit quam veriora: nam si *εὔκαιρος* semel legitur in rebus Siculis, quae 75 fere capitibus continentur, ter in rebus ab successoribus gestis, quae 220 fere capitum spatio circumcluduntur, ex tali ratione argumenta certe peti non possunt. Longius deinde arcessita talia sunt, quod affert *συνεγγίζειν* semel legi in rebus ab successoribus gestis, non legi in rebus Agathoclis, cum in utraque parte aequo modo scriptum sit *συνεγγύς; κρατεῖν τῆς ἐπιβολῆς* ter in rebus successorum, in rebus Agathoclis non inveniri, cum inveniatur et *ἀποτυγχάνειν τῆς ἐπιβολῆς* XIX, 65, 3 et *ἀφιστάναι τῆς ἐπιβολῆς* XIX, 110, 3 et *κοινωνεῖν τῆς ἐπιβολῆς* XX, 40, 6 etc. etc. — Etiam Reussius erravit, si (p. 76) putat vocabula *δορίκτητος* et *δοριάλωτος* non legi nisi in his partibus: cf. XVI, 20, 1. XVII, 17, 2.

modo instituerit Nitschius — qui demonstravit, inveniri in rebus Siculis verba, quae non legantur in rebus ab successoribus gestis, alia in his, quae desint in illis — perversissimam esse duabus de causis apparet. Primum enim Nitschius plane ita agit, ac si non Diodori sed ipsorum fontium verba ante oculos nobis essent posita, cum semper sumat, plane eadem verba, quae inveniuntur apud Diodorum, etiam in fonte ejus fuisse scripta, quin etiam non verba solum, sed etiam ordinem verborum atque usum grammaticum plane integrum a Diodoro esse servatum. Nam si quae res levissima in rebus successorum cernitur, quae in rebus Siculis non eadem reperitur, a Nitschio non quaeritur, num quid Diodori ipsius manui tribuendum sit, sed confestim homini doctissimo constat, diversos fontes indicari. Non opus est singula afferre, namque omnino, si quaecunque de verborum differentiis disputavit homo doctissimus perlustraveris, semper elucet, totum argumentationis fundamentum in eo positum esse, ut Diodori verba plane accipiantur pro fontium verbis, neque quidquam Nitschius contineri censeat Diodori verbis, quam ipsius auctoris verba accuratissime a Diodoro descripta.

Contra quam sententiam ne multa in universum disputemus, uno exemplo totam rationem illustrare placet. Pg. 12. Nitschius exponit, in enarrandis rebus Agathoclis a Diodoro usurpatam esse formulam ὃ καὶ τότε συνέβη [25]); in rebus vero ab successoribus gestis scriptum esse: ἤλπιζεν, ὅπερ ἦν ἀληθές (cf. XVIII, 42, 2. XIX, 42, 2); quibus formulis aliquantulum diversis diversos probari dicit fontes. — Quodsi omnino certi aliquid de fontibus ex his rebus posset colligi, certe credo colligendum est, non diversos fuisse fontes ex eo, quod altero loco legitur ὅπερ συνέβη, altero ὅπερ ἦν ἀληθές, sed potius eundem fuisse fontem ex eo, quod utro-

---

[25]) Accuratius dicendum ei erat etiam legi ἤλπιζεν .... ὃ καὶ τότε σ. (cf. XX, 3, 3. 59, 3); neque illud accurate fecit, quod hic, ubi de ipsa formula ὃ καὶ συνέβη agebatur, attulit locos: XX, 10, 2: πολὺ δὲ διεσφάλησαν τῆς ἀληθείας. ib. 4: ὅπερ καὶ τότε Βομίλκας ὁ ἕτερος τῶν στρατηγῶν ἐποίησε. 79, 1: ταύτας δ' ἀσυντελέστους συνέβη γενέσθαι.

que loco et sperasse aliquem et evenisse quae speraverat a scriptore ipsis verbis exprimatur. Sed omnino ex talibus rebus nihil certi de fontibus esse statuendum jam ex eis, quae ipse addidit Nitschius apparet: nam si eodem modo exempli gratia in libro XI quater invenitur eadem formula (*ὅπερ καὶ συνέβη*), si Nitschium sequeremur, sumendum esset, etiam hunc librum fluxisse ex eodem fonte, quo res Agathoclis, ex Duride! Atque plane e sua libidine tales formulas a Diodoro conformatas esse docet locus Polyb. 19, 6c: *λέγει ταῦτα .... ὃ νῦν γέγονε κατὰ Περσέα*, quem exscribens sic commutavit Diodorus 31, 10: *τούτους τοὺς λόγους ἀποπεφοίβακεν .... ὃ συνέβη κατὰ τοὺς νῦν χρόνους συντελεσθῆναι.* Et ab ipso Diodoro — non ex fonte exscriptam — usurpatam hanc formulam legis XVIII, 1, 4: *ὅπερ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἐξέβη.* — Omnino vero non meis opus est verbis, ubi ipsa Diodori verba [26]) cum Polybio auctore comparata loquuntur:

Polybius.	Diodorus.
I, 67, 7: *ἦσαν*	XXV, 2: *ὑπῆρχον*
81, 2: *ἠσεβηκότας περὶ τῆς ἀναιρέσεως*	3, 1: *ἀποστάντας τὴν ἀναίρεσιν αἰτούμενοι*
3: *προεῖπον*	*ἀντεῖπον καὶ διηπειλήσαντο*
ὑπομενούσης	*γενησομένης*
4: *ἐδογματοποίησαν ἀποκόψαντες τὰς χεῖρας*	*ἐνομοθέτησαν χειροκοπεῖν*
82, 10: *οὐδὲ θάψαι συνεχώρησαν τοὺς ἠτυχηκότας αἰτουμένοις*	3, 2: *πρεσβεύσασι περὶ τῆς — ἀναιρέσεως ἀντεπίπτον περὶ τῆς ταφῆς.*

[26]) Ne quis dicat excerptis illis ab Constantino institutis non ipsius Diodori verba accurate esse expressa, conferat quaeso Diod. XIX, 55, 7 = XXI, 1, 3. XIX, 59, 6 = XXI, 19. XX, 47, 6 = XXI, 1, 6. XX, 101, 4 = XXI, 19. Compluribus verbis de fide atque auctoritate excerptorum egit H. Nissen, Untersuchungen über die quellen der vierten und fünften dekade des Livius, Berol. 63, p. 7 sqq.

Polybius.	Diodorus.
I, 84, 2: εἰς τοιαύτην γὰρ ... ἔνδειαν καθίστασαν τῶν ἐπιτηδείων	XXV, 4, 1: διὰ τὸ σπανίζειν τροφῆς
5: τῶν ὑπεναντίων πολλάκις ἐλαττοῦσθαι.	2: τῶν πολεμίων.
	3: μεγάλα βλάπτεσθαι.
XI, 2: τὰς ἐλαττώσεις διέτελε φέρων.	XXVI, 24: πολλοὺς ὑπέμεινε κινδύνους.

Videmus his locis ἐλαττώσεως vocabulum bis a Polybio usurpatum a Diodoro omnino oppressum esse.

Polybius.	Diodorus.
I, 84, 6: ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἐμπειρία μεθοδικὴ καὶ στρατηγικὴ δύναμις	XXV, 4, 2: ἐπ' αὐτῆς τῆς πείρας στρατηγικὴ σύνεσις.
10: τὴν οἰκείαν ἀμοιβὴν ... ἐπιφέροντος τῇ ἀσεβείᾳ	5, 1: ταύτην ἀμοιβὴν τῶν ἀσεβημάτων .. ἐδικαίωσεν.
86, 6: καθεῖλον	5, 2: προσήλωσαν.
7: τῆς τύχης ἀμφοτέροις διδούσης ἀφορμὰς εἰς ὑπερβολὴν τῆς κατ' ἀλλήλων τιμωρίας	τὴν τύχην τάς τ' εὐημερίας καὶ τὰς ἥττας ἀπονέμειν τοῖς περὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἠσεβηκόσιν.
88, 3: ἀνήκεστον	5, 3: ὑπὲρ ἄνθρωπον
III, 33, 2-4: κελεύσωσιν	16: βουληθῶσιν
βασιλεὺς ἐκέλευσε	βασιλέως εἰπόντος
ὁπότερον αὐτοῖς φαίνεται	ὁπότερον βούλοιτο
ἐκβαλεῖν	ἀφίημι
ἀνεφώνησαν	ἀνεβόησαν

Sexcenta etiam ejusdem rei exempla afferre possum ex Polyb. l. XVI, XVIII, XX—XXIX cum Diod. l. XXVIII—

XXXII comparatis [27]), quibus perspicuum fit, vocabula, rerum ordinem, verborum structuram a Diodoro plane esse commutatam, narrationem contractam [28]), neque omnino pro fontis verbis accipienda esse Diodori.

Sed sapienti jam sat. Hoc unum hoc loco addam. In ceteris omnibus fere, quae in usum vocavit, vocabulis ipse demonstravit Nitschius, eadem inveniri in aliis quoque Diodori libris; unum vocabulum *πολιτεύεσθαι πρός τινα* rectissime animadvertit, non solum in ceteris libris non inveniri, sed ne a H. Stephano quidem esse allatum (sc. eo sensu: sich leutselig zeigen gegen), ita ut rarissimum maximeque unius auctoris videatur proprium: inveniri vero hoc vocabulum et in rebus successorum et in rebus Agathoclis. Quodsi tanta diligentia atque severitate quis ex singulis vocabulis colligere vult de fonte, hoc loco sane concludendum est, ex uno eodemque auctore fluxisse et res Agathoclis et res successorum, cum in utraque parte inveniatur vocabulum neque illud vulgare sed rarissimum maximeque unius proprium: quod Nitschius quidem non fecit hoc loco atque gravissimo eo, sed ab ipso Diodoro vocabulum illud illatum esse posuit.

Deinde alterum argumentum neque minoris momenti perversam Nitschii rationem esse demonstrat. Diligentissime ille quidem vocabula nonnulla collegit, quae in 220 fere capitibus illis, quibus res ab successoribus gestae exponuntur, saepius leguntur, in 75 illis, quibus Agathoclis res continentur, non, viceque versa. Quod si jam sufficeret, ut diversi auctores demonstrentur, jam posset demonstrari, compluribus Sophoclis fabulis comparatis cum una, vel Vergilii Aeneide comparata cum carminibus Bucolicis, non composita illa esse ab eodem poëta, cum in illis reperiantur vocabula saepius usitata, quae desunt in his, in his quae in illis. Hoc modo certi quidquam nequit probari: nam si in rebus diversis uni scriptori notio verbi cujusdam non occurrit exprimenda, frustra requiris tale verbum. Nonne collectis vocabulis ipse Nitschius demonstravit, ex. gr. vocabulum *συνεγγίζειν* non

---

[27]) cf. Nissen l. c. p. 110.

[28]) complura de hac re verba fecit Nissen. p. 112 sqq.

inveniri inde a libri II. cap. 51 usque ad XIII. c. 13, id est per 430 fere capitum seriem, vel *συνορίζειν* non legi per totos libros II, IV, V, XII, XIII, XV, XVI, vel *πλησιόχωρος* non exstare inde a XII, 68 usque ad XV, 5, per 250 fere capita? Quare id potius demonstrandum erat: notionem verbi in utraque parte scriptori exprimendam fuisse, sed semper, vel saepius certe ad significandam hanc notionem alio Diodorum in enarrandis rebus Agathoclis, alio in rebus successorum usum esse vocabulo. Quod non fecit Nitschius: eo enim nihil efficitur, quod, cum in rebus a successoribus gestis plerumque legatur vocabulum *πλησιόχωρος*, in rebus Siculis semel occurrit *ἀστυγείτων* (XIX, 8, 1) — namque idem verbum etiam in rebus a successoribus gestis invenitur (XVIII, 20, 3); neque eo quidquam demonstrari potest, quod strenuitatis notio in rebus Agathoclis plerumque verbo *δραστικός*, in rebus successorum vocabulo *ἐνεργός* significatur; namque etiam in rebus Agathoclis legitur „*ἐνεργός*“ (XIX, 106, 1. XX, 55, 3); ex formulis vero „*ἤλπιζεν . . . ὅπερ καὶ συνέβη*“ atque „*ἤλπιζεν . . . ὅπερ ἦν ἀληθές*“ non tam diversos, quam eosdem cogi fontes, supra explicavimus. Reliquis vero quae attulit Nitschius vocabulis non evincitur eandem notionem diverse expressam esse in diversis partibus, sed illud tantum, alias notiones in rebus Agathoclis, alias saepius in rebus ab successoribus gestis occurrere, excepta una illa numinis notione.

Acutissime enim Nitschius observavit (cf. p. 32. 33), in rebus successorum a Diodoro nusquam usurpatum esse vocabulum *τὸ δαιμόνιον*, quo verbo in rebus Agathoclis saepenumero significetur numinis notio, sed verbum *ἡ τύχη*. Atque concedendum est, tali re summam duorum fontium suspicionem moveri. Quare accuratissime totam quaestionem examinemus, quod eo magis opus esse videtur, cum ex disputatione a Nitschio instituta haud ita plane perspicua fiat vera rerum condicio.

In rebus Agathoclis numen („die weltregierung“) dicitur:

1) *ἡ τύχη* XX, 4, 7. 13, 3. 30, 1. 33, 3. 54, 6. 70, 2. XXI, 17, 2.

2) *οἱ θεοὶ* XX, 7, 3. 14, 1. 70, 4.

3) *τὸ δαιμόνιον* XIX, 103, 5. XX, 13, 3. 14, 1. 2. 30, 2. 70, 3. 101, 2. *τὸ θεῖον* XX, 5, 5. 11, 5. 70, 3.

Nullum vero inter quatuor haec verba intercedere cogitationis discrimen, sed prorsus promiscue eandem quolibet vocabulo significari notionem, doceant verba: XX, 5, 5, ib. 11, 5: *τὸ θεῖον προσημαίνει*, c. 7, 3: *αἱ θεαὶ προσημαίνουσι*, XIX, 103, 5. XX, 101, 3. 70, 3: *τὸ δαιμόνιον ἐπισημαίνει.* XX, 13, 3: *τὸ δαιμόνιον τὸ τέλος τῶν κατελπισθέντων εἰς τοὐναντίον μετατίθησιν . . .*, ib.: *ἡ τύχη δ' ἐναλλὰξ τὰ προτερήματα τοῖς ἐλαττώμασιν ἐπεισάγουσα τοὺς ὑπερέχοντας ἴσον ἐταπείνωσε τοῖς ἡττημένοις*, ib. c. 14: *οἱ Καρχηδόνιοι νομίσαντες ἐκ θεῶν αὐτοῖς γεγονέναι τὴν συμφοράν, ἐτράπησαν πρὸς παντοίαν ἱκεσίαν τοῦ δαιμονίου*, ib.: *εἰώθεσαν δεκάτην ἀποστέλλειν τῷ θεῷ — — ὕστερον μικρὰ ἀπέστελλον, ὀλιγωροῦντες τοῦ δαιμονίου*, ib.: *διὰ τὴν συμφορὰν πάλιν τῶν θεῶν ἐμνημόνευον κτλ.* XX, 70: *τῆς τύχης ἐπιδεικνυμένης —. φανερῶς ἐπεσημήνατο τὸ δαιμόνιον — —. καὶ — — ὁ θεὸς ἔλαβε τὴν κόλασιν.*

In rebus ab successoribus gestis numinis notio praecipue significatur verbo:

1) *ἡ τύχη*, ut XVIII, 8, 7. 13, 4. 20, 1. 41, 6. 42, 1. 53, 7. 59, 4. 67, 4. XIX, 42, 5. XX, 99, 1. XXI, 1, 1. 11;

2) *θεός, θεοί* XVIII, 25, 2. 28, 6. 59, 6. 61, 3.

Eandem vero esse cogitationem numinis, *τῆς τύχης*, et in rebus Agathoclis et in rebus successorum neque ullum cerni posse discrimen, jam intellegas ex hisce:

Res successorum: XVIII, 8, 7: *καιρὸν, ὃν ἡ τύχη αὐτοῖς παρεσκεύασε.* — 13, 4: *ἡ τύχη ἀπένειμε εὐκλήρημα.* — 20, 1: *ἡ τύχη ταχὺ μεταβαλοῦσα ἐταπείνωσεν αὐτὸν.* — 42, 1: *τὴν τύχην ποιουμένην μεταβολὰς.* — 53, 7: *τῆς τύχης αὐτῷ συνεργούσης.* — XIX, 42, 5: *εἶξαι τῇ τύχῃ αἰσχρῶς διέλαβε.* — XX, 99, 1: *ὑπολαβὼν τὴν — ἅλωσιν ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ τὴν τύχην ἀφῃρῆσθαι.*

Res Agathoclis: XX, 33, 3: *οὐ μὴν ἡ τύχη εἴασε μένειν τὴν εὔροιαν.* — 13: *ἡ τύχη — — τοὺς ὑπερέχοντας — ἐταπείνωσεν.* — ib.: *ἡ τύχη ἐναλλὰξ τὰ προτερήματα τοῖς ἐλαττώμασιν ἐπεισάγουσα.* — 70, 2: *τῆς τύχης*

ἐπιδεικνυμένης. — 4, 7: *ὑπομένειν ὅ,τι ποτ' ἂν δοκῇ τῇ τύχῃ πάσχειν.* — 54, 6: *τύχης ἐπηρεασμὸς (ἐγένετο).*

Quare ita res sese habet: eadem cogitatio numinis, quod verbo *ἡ τύχη* significatur in utraque de qua agimus parte aequo modo reperitur; idem vero numen in rebus Agathoclis nonnumquam etiam verbo „*τὸ δαιμόνιον*“ exprimitur.

Quae ejusdem notionis altera significatio unde orta sit, luculentissime apparebit, si omnes locos, quibus significatio *δαιμονίου* usurpatur in unum collegeris, quod diligenter fecit Nitschius p. 32 (unum, quantum equidem vidi, praetermisit XIII, 57. §. 5). Quibus locis sub uno conspectu positis, si ad suam quemque historiarum partem disponimus, tres clarissime discernuntur totius Diodori bibliothecae partes, in quibus *τὸ δαιμόνιον* saepissime atque expresso studio atque amore a scriptore usurpatur, cum in aliis partibus aut omnino non, aut rarissime inveniatur. Sunt partes haece:

1) res Siculae (l. IV. V. XI—XVI).
2) bellum Phocaicum (l. XVI inde a c. 28).
3) res Agathoclis (l. XIX—XXI) et loci hi:

ad 1) IV, 24, 1. VIII, 9, 1. XI, 24, 1. 89, 5. XIII, 57, 5. XIV, 69, 3. 70, 4. 74, 4. 76, 4. 77, 4. 112, 3. XV, 16, 3. XVI, 66, 1. 78, 4. 83, 2.

ad 2) XVI, 31, 4. 56, 8. 57, 2. 61, 1. 64, 1 bis.

ad 3) XIX, 103, 5. XX, 13, 3. 14, 1. 2. 30, 3. 70, 3. 101, 2.

Praeterea legitur: I, 90, 3. III, 2, 2. 5, 1. 45, 7. 63, 3. XIII, 103, 1. XV, 58, 4. XVI, 92, 2. XVII,116, 5, et in fragmentis.

Jam si quaerimus quaenam sit in his partibus ipsa *τοῦ δαιμονίου* cogitatio, apparet, in tribus illis plane esse eandem, in his locis aliqua ex parte diversam:

τὸ δαιμόνιον προσημαίνει, ἐπισημαίνει: res Sic. IV, 24, 1. VIII, 9, 1. XVI, 66, 1. 83, 2. res Ag.: XIX, 103, 5. XX, 70, 3. 101, 2. *δαιμονίου κόλασις, τιμωρία, συμφορά*: Sic. XI, 89, 5. XIV, 70, 4. 74, 4. 76, 4. 112, 3. b. Phoc. XVI, 61, 1. 64, 1. 2. *ὀργὴ* Sic. XIV, 77, 4. *δ. δίκας διδόναι* b. Ph. XVI, 31, 4. 56, 8. *δ. ἱκετεύεται*: res Sic. XIII, 77, 4 (*Κ. ὑπὸ θεῶν πολεμούμενοι, ἱκέτευον τὸ δαιμόνιον*) = res Ag. XX, 14, 1 (*ἐκ θεῶν νομίσαντες γεγονέναι τὴν συμφοράν, ἐτρά-*

πησαν πρὸς ἱκεσίαν τοῦ δαιμονίου). δ. ἀσέβεια, ὀλιγωρία, καταφρόνησις: res Sic. XIII, 57, 5. b. Phoc. XVI, 64. 57, 2 (ἐξαμαρτάνειν εἰς τὸ δ.). res Ag. XX, 14, 2. res Sic. XI, 24, 1 ὥσπερ ἐπιτηδὲς τοῦ δ. περὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν ποιήσαντος γενέσθαι νίκην καὶ ἥτταν. XV, 16, 3 ἐναλλὰξ δαιμόνιον τῇ νίκῃ τὴν ἥτταν διωρθώσατο = Ag. XX, 13, 3 τὸ δ. εἰς τοὐναντίον μετατίθησιν κτλ. Sic. XIV, 69 τὸ δ. ἀντιπράττει. Ag. XX, 30, 3 προάγει τἀληθές.

Alia vero cogitatio subesse videtur, si exempli gr. III, 2, 2 τῷ δαιμονίῳ sacra fiunt, quae in illis partibus mactantur τοῖς θεοῖς (cf. XV, 74, 2. XVI, 18, 5. XIX, 22, 1. 24, 5. XX, 65, 1. 76, 6. 14, 4 al.) vel si XVI, 92, 2 τὸ δ. ἐπισημαίνει ὥσπερ θείᾳ τινὶ προνοίᾳ, subjectum igitur τὸ δ. aliquo modo videtur τῷ θείῳ, cui in illis partibus par est; et si XVII, 66, 7. I, 90, 3. III, 5, 1. XI, 14 legitur δαιμονίου ἀγαθοῦ τινος προνοίᾳ, de providentia ejus in illis partibus non dicitur; si denique XI, 63, 3. XIII, 103, 1. XV, 58, 4 (ubi de νεμέσει δαιμονίου agitur, quae in illis partibus semper dicitur κόλασις vel τιμωρία) adjicitur a scriptore ὥσπερ, οἱονεί, ὡσπερεί, in his locis valde credo licet dubitari, utrum ex fonte exscripta, an ab ipso Diodoro addita sint verba. Sed subsit in his locis eadem cogitationis ratio, tamen ex eo nihil jam potest colligi, si raro atque singulatim verbum quoddam hic illic occurrat [29]), praesertim cum semper possit dubitari, ipsine Diodoro an fonti ejus debeatur: sin certis partibus parvisque suis finibus circumcisis saepenumero invenitur idem vocabulum, cujus notio in aliis partibus aut omnino non respiciatur, aut aliis verbis significetur, tum sane concludi licet, hanc numinis significationem, quippe quae non ubique apud Diodorum legatur, non ab ipsius Diodori manu esse profectam, sed ex fontibus pendere. Quare jam de cetera harum partium condicione videamus. Res Siculas ex uno

---

[29]) Tres illae quas discrevimus partes continentur capitibus fere 300, ceterae partes 1100 fere: in illis δαιμόνιον 27ies legitur, in his 9ies: in illis igitur undecimo quoque capite occurrit, in his centesimo demum vicesimo: qua ex re apparet in illis re vera rationem haberi τοῦ δαιμονίου, in his obiter tantum respici.

auctore derivandas esse, Timaeo, Volquardsenius [30]) demonstravit, quod, quanquam de singulis rebus, quas protulit homo doctissimus, possit dubitari, tamen in universum ab omnibus (praeter unum nisi fallor Holmium) concessum est. Idem rectissime jam conjectaverat, eundem Timaeum auctorem esse belli Phocaici inde a capite 28 l. XVI: Quod bellum etsi nuperrime Packius [31]) Demophilo auctori tribuendum esse censuit, tamen tam infirmis nititur fundamentis, quae facili opera eruas. Tres enim homo doctus attulit causas: duabus et ad Demophilum ducimur et ad Timaeum, tertia vero non ad Demophilum, sed ad Timaeum; accedunt deinde argumenta gravissima, quae Demophilum dissuadent. Nam si primum exposuit, ipsa narratione indicari, peculiari hujus belli descriptione usum esse Diodorum, hoc et de Demophilo valet et de Timaeo, quem peculiaribus insertis narrationi digressionibus de rebus Graecis egisse constat [32]). Si deinde in eo summum argumentationis ponit discrimen, ut demonstret, et Demophilum bellum enarrasse complexum etiam poenas sacrilegorum, et Diodorum idem facere, hac causa non efficitur, alii scriptori idem non licuisse neque ipsum Timaeum hanc rationem, re ipsa paene necessariam, esse secutum. Si denique proprium aliquid atque singulare narrationis in eo cernitur, quod summa eminet auctoris *εὐσέβεια* vel *δεισιδαιμονία*, *δεισιδαιμονοῦντα* fuisse Demophilum Packius vix alicui satis persuaserit cum Demophilum pio erga patrem fuisse animo contendat, quippe qui opus a patre susceptum ad finem perduxerit (p. 192); neque eo satis jam declaratur, quod inde ab initio usque ad peractas sacrilegorum poenas bellum descripsit. Timaeum vero talem fuisse et ex ipsius, quae aetatem tulerunt, fragmentis, et ex aliorum scriptorum testimoniis luculentissime potest demonstrari (Polyb. XII, 24: *οὗτος γὰρ — — ἐν ταῖς ἰδίαις ἀποφάσεσιν ἐνυπνίων καὶ τεράτων καὶ μύθων ἀπιθάνων καὶ συλλήβδην δει-*

[30]) l. c. p. 111 sqq.

[31]) Hermes, vol. XI, p. 179: die quellen des berichtes über den heiligen krieg im XVI. buche Diodors.

[32]) Schmidt, de fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis in Macedoniam atque Graeciam susceptis, Berol. 34.

σιδαιμονίας ἀγεννοῦς καὶ τερατείας γυναικώδους ἐστὶ πλήρης = Suidas s. v. δεισιδαιμονία). Quare cum duabus causis ad utrumque possimus duci, tertia ad unum Timaeum ducamur, vix dubium esse potest, qui praeferendus sit auctor. Accedunt aliae atque gravissimae contra Demophilum difficultates. Nam ne de ea dicam, quam motam a Volquardsenio [33]) Packius [34]) non removit, de discrepantia narrationis, quae intercedit inter Ephorum et ea, quae a Packio tribuuntur Demophilo, quam exstare plane non animadverterunt scriptores veteres: illud potius summos semper mihi movit scrupulos, quod cum tria servata sint belli Phocaici a Demophilo narrati fragmenta, nullum aliqua ex parte satis congruit cum Diodori — ne dicam verbis ipsis, sed ne tota quidem rerum narratione, quin etiam apertissimae intercedunt rerum diversitates, quae e medio tolli non possunt. Atque si acute Packius e cap. 14 §. 3 demonstravit, Apollodorum vel eum auctorem, ex quo hasce notas petivit Diodorus, ex ipsius Demophili libro intellexisse, undecim belli annos illum esse complexum, jam ipse Diodorus c. 59 §. 1 decem annorum bellum fuisse dicit, qua ex re satis apparet, Demophilum ab Diodoro non esse exscriptum. Contra Timaeum una haec difficultas jam ab ipso Volquardsenio mota erat, quod nulla fere ejus exstant de rebus Graecis fragmenta, neque Polybius XII, 23 quidquam novisse videtur a Timaeo compositum, nisi res Siculas atque Italicas. Attamen cum altera ex parte ipsorum veterum testimoniis Σικελικὰ καὶ Ἑλληνικὰ illum scripsisse confirmetur (Suidas), atque inter omnes constet, digressione inserta uberius eum de expeditionibus a Gallis in Macedoniam atque Graeciam factis egisse [35]), jam ex eo, quod adversante fortuna factum est, ut nulla fere fragmenta aetatem tulerint, res ipsa non in dubium vocari potest, sed potius doleri debet. — Quae cum ita sint, bellum quoque Phocaicum e Timaeo fluxisse jure contendit Volquardsenius.

Quod tandem pertinet ad res ab Agathocle gestas, et Haake et Roesiger omnino demonstrare non potuissent, ex

[33]) l. c. p. 113. [34]) l. c. p. 192.
[35]) cf. Schmidt l. c.

Duride hausisse Diodorum, nisi illud argumentationis posuissent fundamentum, Duridem ipsum usum esse Timaeo, ita, ut per Samium perlata Tauromenitae verba accepisse Diodorum statuendum sit.

Quae si tenemus, facillime omnes, quas movit Nitschius, difficultates repente tolluntur: apparet, *δαιμονίον* significationem maxime propriam esse Timaei; atqui in conscribendis rebus Siculis ipsius Timaei verba a Duride perlata accepit Diodorus; quare cum numinis notio et in rebus a successoribus gestis et in rebus Agathoclis significetur verbo *τύχης*, in rebus Agathoclis altera quoque ejusdem notionis occurrat significatio verbo *δαιμονίον*, elucet, alteram hanc significationem fluxisse posse ex Timaei vi atque auctoritate, neque jam eis, quae Nitschius protulit, justae continentur causae, quibus Duris auctor possit refutari — nam si quae re vera intercedunt sermonis discrepantiae inter hasce partes, ex eadem Timaei auctoritate explicandae sunt [36]). Atque cum in ea ratione versetur Nitschii argumentatio, ut refutando Duride probetur Hieronymus: cum auctor Duris non sit refutatus, demonstratus non est Hieronymus. —

IV.

Age modo circumspiciamus, quantum itineris permensi simus, quid operis relinquatur. Comprobasse mihi videor, non

---

[36]) Nitschius demonstravit, quaedam vocabula in rebus Siculis inveniri, in rebus successorum deesse: quare si recte disputata sunt verba mea, haec vocabula Timaei auctoritati tribuenda sunt, atque ut hujus scriptoris propria saepissime in eis Diodori partibus occurrere debent, quae ex illo fluxerunt; atque occurrunt: *ὁλοσχερὴς* (N. p. 24), in reb. Ag. 4er, in reb. Sicul. V, 7, 12. 17, 2. 20, 4. 50, 4. XI, 52, 2 = 5ies, praeterea 4er; *δραστικὸς* (N. p. 25) in reb. Ag. ter, in reb. Sicul. 4, 6, 5. XI, 81, 5. 88, 6. *ῥαδιουργία* (p. 12) in reb. Ag. semel, reb. Sic. V, 11, 2, Timaei frgm. 68. *ὅπερ καὶ συνέβη*: in reb. Ag. 6ies; in reb. Sic. XI, 72, 3. XIII, 81, 3. 112, 6. XIV, 59, 4. XVI, 79, 4. bell. Phoc. XVI, 33, 1. 60, 5.

ex uno eodemque auctore hausisse omnes scriptores, qui res ab successoribus Alexandri magni gestas memoriae prodiderunt; ex uno vero eodemque fonte fluxisse Diodori, Plutarchi, Nepotis, Polyaeni scientiam, ipsum deinde Cardianum permultis de causis auctorem statui non posse, sed per alius manum verba ejus ad Diodorum perlata esse. Jam restat quaerendum num inveniri possint ipsius auctoris vestigia.

Quae exstant atque ea gravissima. Supra demonstravimus, ex eodem fonte communi fluxisse omnes fere Diodori, Plutarchi, Cornelii, Polyaeni de his rebus capita. Vidimus non in quibusdam tantum partibus hic atque illic e contextu rerum excerptis congruere, in aliis dissentire scriptores illos, sed inde ab initio libri XVIIIi Diodori usque ad XXIIum in omnibus capitibus, quibus omnino de eisdem rebus gestis scribunt, eodem illos usos esse fonte. Qua re cogitur: unum tantum auctorem per omnia, quae contulimus, capita esse exscriptum, neque ex diversis duobus pluribusve haustam esse narrationem, — nisi quis sumeret, non modo Diodorum et Plutarchum miro quodam taciti consilii consensu eodem semper narrationis loco et mutasse fontem, et mutato alterum adhibuisse plane eundem, verum etiam consentientes et Nepotem et Polyaenum eosdem in mutando, eosdem in usurpando auctore fuisse. Cujus rei — ipsius jam incredibilis — ne minimum quidem deprehendi potest vestigium, quod necessario remanere debebat; quin etiam, quod infra accuratius demonstrabimus, apertissima ejusdem fontis vestigia per omnes partes inveniuntur. Quodsi jam constat, et eundem et unum tantum his capitibus fuisse fontem, apparet, si in uno tantum loco congruenti certis causis potest demonstrari, quisnam fuerit auctor, omnia haec capita eidem auctori vindicanda esse; apparet quoque, si in uno tantum loco demonstratur, aliquem scriptorem non fuisse auctorem, de eodem reliquorum auctore cogitari non posse, quod de Hieronymo (ap. Paus. I, 9, 9. frgm. 7) dissentiente ab Diod. XXII, 12 et Plut. Pyrrh. 12, 17 supra jam fecimus. Nunc vero ipsius veri auctoris vestigiis in locis congruentibus insistendum est.

Ex uno illo communi perpetuoque fonte derivanda esse capita

Diod.	Plut. Eum.	Nep. Eum.	Polyaen.
44, 2	19, 13 sqq.	13, 4	
48, 3—4	19, 16 sqq.		IV, 6, 15

collatis verbis facile intelleges. Leguntur vero apud Diodorum c. 44 §. 4 et 5 — quae verba aliunde fluxisse in artissimo et capitis et rerum contextu nulla probari potest ratione — verba haec:

Diod. XIX, 44, 4:

Ῥάγας, ἣ ταύτην τὴν προσηγορίαν ἔσχεν ἀπὸ τῶν γενομένων περὶ αὐτὴν ἀτυχημάτων. πλείστας γὰρ ἔχουσα πόλεις τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις καὶ μάλιστ' εὐδαιμονούσας, τηλικούτους ἔσχε σεισμοὺς ὥστε καὶ τὰς πόλεις καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας ἅπαντας ἀφανισθῆναι καὶ ποταμοὺς ἀντὶ τῶν προυπαρχόντων ἄλλους φανῆναι καὶ λίμνας.

Duris Samius (ap. Strab. I, 60 frg. 25. M.):

Δοῦρις δὲ τὰς Ῥάγας τὰς κατὰ Μηδίαν ὠνομάσθαι φησὶν ὑπὸ σεισμῶν ῥαγείσης τῆς περὶ τὰς Κασπίας πύλας γῆς, ὥστε ἀνατραπῆναι πόλεις συχνὰς καὶ κώμας καὶ ποταμοὺς ποικίλας μεταβολὰς δέξασθαι.

Ex Duride haec verba petita esse jam dudum Wesselingius, Müllerus, Droysenius, Haakius, alii recte intellexerunt, ne Nitschius quidem negavit; unus atque primus Reussius dubitavit. Dicit enim (p. 117) verba ipsa non satis congruere; quae omni ex parte in his locis congruere omnino non possunt, cum neque Strabo *κατὰ λέξιν* reddat Duridis verba, neque Diodorus ad verbum exscripserit auctorem, sed explicationem nominis ab illo excogitatam suis renarrarit verbis; singularem vero hujus explicationis proprietatem, apud Diodorum expressam inveniri nemo negaverit. Et si Reussius vulgarem lateque diffusam eis aetatibus fuisse dicit hanc etymologiam, hoc certe altero Strabonis loco minime declaratur l. XI, 9, p. 435 „*τοὔνομα δὲ ταῖς Ῥαγαῖς ἀπὸ τῶν γενομένων σεισμῶν γενέσθαι φασὶν, ὑφ' ὧν πόλεις τε συχναὶ καὶ κῶμαι δισχιλίαι, ὥς φησι Ποσειδώνιος, ἀνετράπησαν*, ubi eandem

etymologiam Posidonio tribui Reussius contendit. Nam si accuratius ipsa verba contemplatus esset, sane intellexisset, verba ὥς φησι Π. non ad totum enuntiatum, sed ad numerum tantum „δισχιλίαι“ spectare. Ipsam etymologiam alii tribuendam esse auctori Strabo verbo φασίν (τοὔνομα γενέσθαι) indicat; cujus nomen, cum jam laudasset in priore libro, hoc posterioris libri loco, cum iterum Rhagarum mentio offerebatur, non opus erat repetere: hoc loco numerum oppidulorum destructorum, quem addit, Posidonio deberi scribit. — Hoc sane constat, et singularem hanc etymologiam esse, et maxime ipsius Duridis propriam — quod jam Wesselingius recte intellexit (vol. VIII. p. 525: „atque haec speciose illi quidem: conveniebat opinioni solum ejus ingenium et vocabulum Ῥάγας, quod suo e sermone repetebant“). Nam quod luculentissimum rei testimonium est: ex ipsis Duridis fragmentis cernitur, amore quodam atque studio semel atque iterum edendis nominum notationibus operam hunc navasse, atque eam ipsam ob causam summa huic loco vis tribuenda esse mihi videtur.

Quem locum cum jam omnes — praeter unum Reussium — ex Duride petitum esse concedant, alterum quoque hominibus doctis subministrare possum minus adhuc cognitum. Vidimus ex uno fonte fluxisse Plut. Eum. cap. 1 et Cornel. Eum. cap. 1. Jam legitur apud Cornelium §. 4: hic peradulescentulus ad amicitiam accessit Philippi — —: fulgebat enim jam in adulescentulo indoles virtutis. Quae verba ex Duride fluxisse ipse ostendit Plutarchus, cum dicat c. 1 v. 2: Δοῦρις ἱστορεῖ — ἔτι δὲ παιδὸς ὄντος αὐτοῦ — τὸν Εὐμένη φανέντα συνετὸν καὶ ἀνδρεῖον ἀρέσαι τῷ Φιλίππῳ καὶ ἀναληφθῆναι. Cui Duridis sententiae opposita est ea, quam ipse Plutarchus sequitur, non propter suam prudentiam atque virtutem, sed propter patrium hospitium atque familiaritatem Eumenem ad Philippum esse adductum. Apparet igitur, Cornelium eum secutum esse fontem, quem Duridem esse dicit Plutarchus, cujus de hac re opinionem cum sperneret Plutarchus, Cornelius ei sese addixit. —

At dicit Reussius (Mülleri aliorum sententiam secutus),

eo satis declarari, Duride non usum esse Cornelium, quia Duris διὰ πενίαν γενέσθαι Eumenem, Cornelius „summo loco natum“ eundem faciat. Res facillima est explicatu: duae a Plutarcho variae referuntur narrationes; altera Duridis, Eumenem adulescentulum pauperem ab Philippo in amicitiam esse receptum cum suo ingenio atque virtute praestans placuisset regi; altera alius auctoris, eundem summo loco natum non propter suam virtutem sed propter amicitiam patris in familiaritatem regis venisse. Quae duae narrationis versiones etiam apud Cornelium inveniuntur: alteram Duridis modo demonstravimus; altera ipsis §. 3 verbis „summo genere erat“ continetur: latet enim ea narrationis versio, cui ipse Plutarchus sese adjungit, cum dicat: διὰ ξενίαν καὶ φιλίαν πατρῴαν, quibus verbis apparet, summo loco fuisse patrem, quippe qui regis familiaritate uteretur. Videmus igitur duas illas rationes ab utroque scriptore tradi — eo interposito discrimine, quod Cornelius neque auctorem laudat neque unam sententiam sequitur, sed duas conjunxit atque confudit —; quare cum tibi non persuaseris, duos auctores diversos eosdem a Plutarcho, eosdem a Cornelio eodem loco et inspectos esse et exscriptos, ita rerum condicio explicanda est, ut statuamus, unum utrique ante oculos fuisse auctorem atque talem, qui jam ipse duas illas versiones conjunctas praeberet; quem fuisse Duridem Plutarchus dicit [37]); sed cum ipse Duris alteri sese addixerit sententiae, repugnans Plutarchus maluit alteram.

Sed aliud quoque, ut hoc addam, jure ex his Plutarchi verbis colligi potest. Quicunque adhuc accuratius de his rebus scripserunt recte animadverterunt, et apud Diodorum et Plutarchum et Cornelium summum cerni Eumenis studium

---

[37]) Si dicit Droysenius (Hermes l. c.) apud Hieronymum laudatum invenisse Plutarchum Duridis nomen, primum fundamentum totius argumentationis ab illo institutae eam ob causam infirmum est, quia positum est in falsa illa, quam demonstravimus, Nitschii opinione. Deinde ipse Droysenius, consentiens Nitschii argumentationi, concedit, post Timaeum scripsisse Duridem; jam vero Dionys. ant. Rom. I, 6 testis est, ante Timaeum libros suos composuisse Hieronymum, ita ut de Duride Hieronymi auctore nequeat cogitari.

atque amorem; omnes hac re Hieronymum auctorem indicari dixerunt. Cujus rei veterum scriptorum testimonia afferri non possunt nisi unus Diodori locus XVIII, 42: *Ἱ. πολίτην καὶ φίλον Εὐμένους*. Non de eo dicam, rem ipsam haud ita multum eo confirmari, quod occiso Eumene statim ad interfectorem ejus atque adversarium Antigonum transfugit, quod semper deinde hujus partes secutus, summis ab hoc honoribus habitus est; non de eo, quod etiam Antigoni amicus dicatur (Josephus c. Apion. p. 1050E: *φίλος ὢν τοῦ Ἀντιγόνου*) atque Pausanias duobus locis (I, 9, 9. 13, 9) Hieronymum Antigoni adulatorem cum damno reliquorum regum vituperet: illud tantum commemorem, demonstrari hoc Plutarchi loco, etiam Duridem — haud scio an virtute, fide, ingenio viri, an aliis adductus causis — laudibus praedicasse Eumenem; qui, cum sua virtute atque ingenio Philippo in conspectum venisse Eumenem prodat, majore sane virum effert laude, quam ei, qui propter patris merita provectum illum tradunt. Quare laudes illae Eumenis, quae cernuntur, nullo modo abhorrent a Duridis ingenio, verum etiam magnopere in illum quadrant.

Sed alia etiam Duridis vestigia indagari possunt. Jam constat illum a Plutarcho in vita Demetrii esse exscriptum (quod primus Hullemannus animadvertit) cum cognitio vestis illius, quae a Plutarcho bis, c. 41 v. 3 et c. 44 v. 28 sqq., commemoratur, fluxerit ex Duride (cf. frgm. 31). Neque illud plane videtur praetermittendum, quod Plut. Dem. cc. 16, 6. 19, 1. 27, 25, ubi Lamiae mentio fit, aliquo modo respicere videntur ad Lamiam illam, de qua complura Duris (frg. 35 ap. Diod. XX, 41, 3—6 expressum) verba fecit. Eo vero suspicionem haud exiguam moveri concedent quicunque accuratius in his quaestionibus Plutarcheis versati sunt, si deprehendas vestigia auctoris exscripti, cujus nomen celat Plutarchus (unius Coriolani in memoriam revocasse satis habeam, ubi Dionysius nullo loco laudatus unus fere a Plutarcho exscriptus est). In vitis Demosthenis (c. 19. 23) et Phocionis (c. 4. 17) et Alexandri (c. 15. 46) Duris auctor ab ipso Plutarcho laudatur. Plurimum abest, ut jam ex ipsa nominis laudatione de fonte concludam: cum saepissime veri atque uberrimi auctoris nomen non afferatur a Plutarcho, mi-



norum laudentur. Quare priusquam omnino de Duride a Plutarcho in his vitis exscripto cogitemus, quaerendum, quaenam sit horum locorum condicio. Ea vero consuetudine in afferendo nomine veri sui auctoris uti Plutarchum, si collegeris locos, intelleges, ut afferat, aut si ipse repugnat sententiae ejus, aliisve cum scriptoribus repugnantem illum intellegit, aut si tale quid ab illo traditur, quod ita comparatum videtur, ut rationem hujus rei ipsi auctori praestandam, vel allata nominis auctoritate narrationem confirmandam censeat. De Eumenis c. 1 jam diximus Plutarchum cum auctore suo dissentientem nomen ejus afferre; in Phoc. c. 4 intellegens cum Charetis sententia pugnare Duridem, ipsa nomina attulit; eadem ratio in Demosth. c. 19 et 23. Alex. c. 15 et 46 perspicua est; in Phoc. c. 17 Duridis auctoris nomen laudatum videtur, quo magis confirmetur narratio, cujus rationem Duridi relinquit praestandam. In hac rerum condicione allato Duridis nomine offendendi causa non est, sed de ipso Plutarchi auctore potest cogitari. Jam si alia etiam ipsius Duridis exstant vestigia, hunc esse exscriptum veri fit simillimum. Atque possunt deprehendi vestigia. Oblata jam nobis erat occasio commemorandi numinis illius verbo τύχης significati; quaestio supra aliqua tantum ex parte tractata nunc ad finem perducenda est.

Demonstravimus (p. 46, ubi locos ipsos contulimus) et per res ab Agathocle et per res ab successoribus gestas propriam illam τῆς τύχης — ut numinis sua sponte agentis — cogitationem cerni; hoc loco addendum est, similes sententias atque cogitationes legi et apud Plutarchum (Demetr. 25. v. 2. 35. v. 19 sqq. 45. v. 7. 50. 52. Demosth. 19. v. 11. 21. v. 19. Phoc. 1. v. 16. 3. v. 21. Pyrrh. 26 v. 29. 29 v. 6) et apud Nepotem (Eum. 1, 1. 6, 5) et apud Polyaenum (IV, 6, 13). Praecipue vero eo modo agit, ut hominum consilia praeter opinionem (παραδόξως) et conturbet et sustentet, incepta rationesque necopinatu aut provehat aut praecidat: XVIII, 8, 7: ἐπιτηροῦντες καιρὸν εὔθετον, ὃν ἡ τύχη ταχέως αὐτοῖς παρεσκεύασεν. 13, 4: ἡ τύχη τι παράδοξον ἀπένειμε τοῖς Μακεδόσιν. 20, 1: ἡ τύχη ταχὺ μεταβαλοῦσα ἐταπείνωσεν αὐτόν. 42, 1: τὴν τύχην ὀξείας ποιουμένην μεταβολάς. 41, 6: εἰδὼς τὴν τύχην ὀξέως μετα-

βάλλουσαν. 59, 4: *ἐθαύμαζον τὸ τῆς τύχης εὐμετάβολον.* 60, 1: *τύχης καινοτομία.* 67, 4: *ἀστάτου καὶ κοινῆς ἅπασι τῆς τύχης οὔσης.* XX, 93, 7: *τὸ παράδοξον τῆς τύχης.* 13, 3: *ἡ τύχη ἐναλλὰξ τὰ προτερήματα τοῖς ἐλαττώμασιν ἐπεισάγουσα.* 30, 1: *ἀνωμαλία τῆς τύχης.* 33, 3: *οὐ μὴν ἡ τύχη εἴασε μένειν τὴν εὕροιαν.* — Atque eadem fortunae vicissitudo a Plutarcho praedicatur: Demetr. 32. v. 27: *μεταβολῇ τῆς τύχης κεχρημένον.* 35, 6: *ἡ τύχη ἔοικεν οὕτω τροπὰς λαβεῖν μεγάλας.* ib. v. 10: *μεταβολαῖς πρὸς τὴν τύχην.* ib. v. 19 sqq. 45. v. 7 sqq. Pyrrh. 34. v. 6: *εἰς τύχης μεταβολήν*; cf. Cornel. Eum. 1: hujus si virtuti par data esset fortuna. 6, 5: si ita tulisset fortuna, atque Polyaen. IV, 6, 13: *τοσαύτη μεταβολὴ γνώμης καὶ τύχης ἐγένετο.* — Omnino vero *ἡ μεταβολὴ τῶν πραγμάτων* ab his scriptoribus iterum atque iterum praedicatur: Diod. XVIII, 53, 1. 2, 4. XIX, 11, 7 f. 16, 2 f. 52, 6 f. 53, 3. 59, 6. XX, 102, 3. cf. XIX, 11, 6. 6, 7. 7, 4. Plut. Demetr. 5, 5. 9, 26. 18 extr. 41, 6. 48, 26. 49, 20. Quae propriae cogitationes, etsi inveniuntur in aliis quoque historiarum partibus hic illic dispersae, saepius tamen atque aperto studio consilioque repetitas vix reperias nisi in his partibus apud hos scriptores. Ex eo vero nihil certi de auctore colligi potest, si singulatim raroque occurrunt sententiae ejusmodi generales, sed ex eo tantum, si saepius atque consilio quodam repetuntur atque eodem modo ab diversis scriptoribus repetitae inveniuntur.

Jam quaerendum, num singulari hac fortunae ratione, quae apud illos scriptores occurrit, ad certum auctorem possimus duci. Roesigerus (p. 62) jam ab Duride eam profectam esse conjecit [38]); Nitschius quidem p. 33 omnes hos locos Hieronymum redolere dicit, causa cur in hac opinione versetur addita nulla. Spero equidem me allaturum esse cau-

[38]) tamen infirma R. nititur causa, cum dicit „cum praeter eos, quos contuli neque apud Diodorum neque apud Plutarchum usquam alibi similis sententia reperiatur"; conferat modo homo doctissimus *τὰ παράλογα τῆς τύχης* XI, 71 extr. XV, 54. *θαυμάσαι δ' ἄν τις τῆς τύχης τὸ παράδοξον* XII, 63. XVII, 69, 4. *ἰδὲ τὴν τύχην ἁπάντων οὖσαν κυρίαν* XIII, 24. *κοινῆς τῆς τύχης ὑπαρχούσης* XIV, 46. *μεταπεσοῖτο εἰς τοὐναντίον ἡ τύχη* XVI, 92.

sam idoneam, qua non Hieronymus sed ipse probetur Duris. Namque primum jam concedi debet, eo haud exiguam ejusdem fontis exscripti suspicionem moveri, si et in rebus Agathoclis et in rebus successorum plane eadem — ut supra comprobavimus — fortunae cogitatio cernitur. Deinde vero constat scripsisse Duridem librum *περὶ τραγῳδίας* (Athenae. XIV, p. 636 F, frgm. 69) vel *περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους* (Athen. IV, 184 D), ex quo apparet, in fabulis multum illum fuisse versatum; constat, inseruisse Duridem ipsi narrationi versus ex illorum fabulis desumptos (cf. Roesiger. p. 31, quam rem testatur XX, 14, 6 atque maxime l. XX c. 41, quod e Duride fluxisse propter consensum ipsius fragmenti [35] demonstravit Roesiger). Jam vero inveniuntur inserta narrationi atque artissime cum ipsis de fortuna illa sententiis conjuncta semel atque iterum versus Sophoclis et Euripidis: Demetr. c. 45, 12 Sophoclis, paucis interjectis versibus v. 30 Euripidis, c. 46, 6 Sophoclis; eadem res cernitur Dem. c. 35 inde a versu 5, ubi artissime cum sententiis illis de fortunae inconstantia atque levitate conjuncti leguntur versus ex Aeschyli fabulis desumpti; inveniuntur in Phoc. c. 1, ubi propria illa, qua Nitschius (p. 33) offensus est, *τύχη Ἑλλάδος* occurrit, versus Sophoclis; exstat denique in Demosth. c. 19 v. 11 *τύχη δαιμόνιος* atque eodem capite Duridis ipsius auctoris nomen laudari vidimus, neque versus illi ex libris Sibyllinis petiti dissuadent Duridem, quem etiam aliorum versus saepissime narrationi suae inseruisse constat ex fragmentis 5. 27. 30. 32. 47. 51. 56. 61. 65. Quae res maxime singularis cum semel atque iterum eodem modo comparata inveniatur atque occurrat in eis ipsis vitis, in quibus Duridem a Plutarcho esse inspectum veri jam simillimum visum est, casu hoc factum vel ipsi Plutarcho tribuendum esse vix credideris, sed consenseris mecum, singularem hanc fortunae rationem propriam esse Duridis. Cujus sententiae fidem eo quoque haud mediocriter tibi probatum iri spero, quod neque apud Pausaniam neque Appianum, neque apud Justinum neque Arrianum, quos aliunde hausisse supra vidimus, in his partibus — quantum et equidem observavi et Reussius pg. 76 — similis quaedam reperiatur fortunae commemoratio.

Deinde vero Duridem auctorem eo magnopere confirmari credo, quod omnes difficultates, quae contra ipsum Hieronymum moveri debent, optime tolluntur interposito Duride; opus esse fonte quodam intercedenti vidimus, jam num ipso Duride dubitationes illae removeantur examinemus. Contra Hieronymum primum dictum erat, minus illum inter posteriores scriptores fuisse cognitum atque lectitatum. At Duris et maxime cognitus et saepissime exscriptus est: nonaginta fere ejus exstant fragmenta, 33 ex ipsis, de quibus nobis agitur, de rebus Graecis Macedonicisque libris; laudatur a 25 scriptoribus; ipse Diodorus nomen ejus adfert XXI, 6 et XV, 60 ex eo auctore, cui notas illas de scriptoribus debet; a Plutarcho 13ies laudatur (Phoc. c. 4. c. 17. Dem. 19. 23. Eum. 1. Agesil. 3. Alex. 15. 46. Lys. 18. Pericl. 28. Alcib. 32 de fortun. Al. I. c. 3) atque aliis locis non addito nomine ab eodem exscriptus est (Demetr. c. 41, de sollert. anim. p. 970 cf. frgm. 33); et cum de Hieronymo certis locis demonstrari non possit, inter Latinos quoque cognitum eum fuisse, Duridem et Cicero laudavit (ad Attic. 6. 1. 18 „hominem in historia diligentem") et Plinius eo usus est quatuor locis ipsius nomine adscripto (H. N. VII, 3. VIII, 40. XXXIV, 19. XXXVI, 10). — Deinde Hieronymum omnino dissuadebant res Graecae uberrime a Diodoro atque Plutarcho ex eodem auctore atque res Asiaticae exscriptae, quas ab Hieronymo conscriptas esse nullo modo potest probari. De Duride inter omnes constat scripsisse eum *Ἑλληνικὰ καὶ Μακεδονικὰ* (cf. frgm. 1—33); res Atheniensium illum diligentius respexisse docent fragmenta 6. 9. 22. 23. 30 (de rebus a Demetrio Athenis gestis, de quibus tacere vidimus Justinum ceterosque scriptores) 60. 64. Etiam cognosci potest, si quidem recte judicavit Plut. Pericl. c. 28, *ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων* illum scripsisse, quod haud a vera rerum condicione abhorrere videtur, cum Samius ille quidem insulam ab Atheniensibus incolis ereptam aegre tulerit. Nam si supra jam demonstravimus, eodem modo narrari a Pausania I, 25 bellum Lamiacum atque a Diodoro XVIII, 8—18, Plutarchoque (Demosth. 17. Phoc. 23—27), dissentientibus ceteris, eo interposito discrimine, ut Atheniensium studium prae se ferat Pausanias, infensum eisdem Diodorus

animum, optime tota rerum condicio explanatur Duride interposito: eundem auctorem Pausanias inspexit, eundem Duris, qui de suo animum Atheniensibus infensum intulit narrationi. Quis fuerit auctor a Duride de rebus Graecis atque maxime Atheniensium exscriptus, pro certo haud ausim affirmare, cum nimia premamur fragmentorum inopia; cogitari potest de Philochoro, cujus fragmentum 144 in universum de summis rebus cum Plutarcho et Diodoro congruens attulit Reussius (p. 134); sed ne illud quidem neglegendum est, Diodorum XIX, 52, 5 in universum bene consentire cum Diylli frgm. 3, cum Atheniensi illi quidem res Athenienses diligenter expositae bene conveniant.

Possunt quoque afferri leviora quaedam ad confirmandam Duridis auctoritatem. Si *μίμησις* ejus laudatur (frgm. 1), quae in eo scribendi genere cernitur, quod ultimae rerum causae, hominum consilia atque rationes quo modo ortae sint, processerint, evenerint, explicate exponuntur, facile in his Diodori partibus illud genus invenias: XVIII, c. 7: *ὁ δὲ Πύθων διανοούμενος . . . .; διαψευσθεὶς τῶν ἐλπίδων.* c. 8: rationes Alexandri; c. 9: Leonnati Atheniensiumque consilia; c. 23: *ἐπιβολαὶ* Perdiccae et Antigoni; c. 42: *Εὐμένης σαφῶς εἰδὼς . . . . ἐώρα γάρ;* c. 46: *Ἀλκέτας ἔκρινε . . νομίζων . . .. τῶν δὲ ἐλπίδων αὐτὸν οὐ διεψεύσαντο.* XVIII, 42, 2: *ἤλπιζεν, ὅπερ ἦν πρὸς ἀλήθειαν* = XIX, 42, 2. c. 39, 3: *ἤλπιζε γὰρ* = 43, 2 = 50, 2 = 74, 1 = 77, 4 al. XVIII, c. 49: Cassandri consilia; c. 50: *πλήρης ἦν . . . περιβαλλόμενος δὲ . . . ἔγνω. — διενοεῖτο γὰρ;* c. 51: *Ἀντίγονος γνοὺς . . . ἔκρινε;* c. 60: *Εὐμένης διανοούμενος . . .* = XIX, 12, 3. c. 62: *Ἀντιγένης . . . ἐδίδαξε γὰρ;* c. 66: *Πολυσπέρχων αἰσχυνόμενος.* XIX, 12: *διανοούμενος;* c. 19: *ἔκρινε συμφέρειν . . . ἡγεῖτο . . .;* c. 23: *ἃ δὴ θεωρῶν Εὐμένης καὶ . . .*; et quae sunt similia. Neque plane praetermittendum esse videtur, Sami insulae quater mentionem fieri — Cardiae nullam — XVIII, 8, 7. 18, 6. 9 (56, 7); quos locos si Nitschius minus cum fragmentis Duridis congruere dicit, non obliviscendum est, fragmenta illa ex alio Duridis libro, quo proprie de rebus Samiis (*Σαμίων ὧροι*) agebat, esse petita, hoc vero loco in usum vocandas esse historias (*Μακεδονικὰ καὶ Ἑλληνικά*). Si deinde

constat, Duridem, Samiorum tyrannum, in rebus ab Agathocle gestis ipso *τυράννου* vocabulo vitato *δυνάστου* atque *δυναστεύειν* verbo esse usum (cf. Roesig. p. 33), idem verbum haud ita raro legitur in rebus successorum: XVIII, 6, 2. 7, 4. 16, 1. 52, 3. 75, 2. XIX, 36, 4. 48, 4. 51, 5. 53, 6. 57, 3. 59, 5. 67, 2. 86, 3. XX, 19, 2. ib. 3. 24, 1. 37, 2. 5. 53, 4. 82, 4. 92, 4. 111, 4. XXI, 1, 1. 12, 3. XXII, 4, atque tyranni contra plebis imperii odium (Roesig. p. 33) cernas in c. 10. l. XVIII: *τῶν δὲ δημοκόπων ἀνασειόντων τὰ πλήθη κτἑ.* c. 18: *τὸ δὲ λοιπὸν . . . .* c. 66: *ὁ δὲ ὄχλος ἀνεβόα κτλ.* Atque XIX, 48: *αἱ γὰρ ἀσεβεῖς χρεῖαι τοῖς μὲν δυνάσταις διὰ τὴν ἐξουσίαν γίνονται λυσιτελεῖς κτλ.* optime in Duridis animum quadrant cf. Roesiger p. 33. Afferri deinde possunt verba *ὄγκῳ καὶ φρονήματι*, quae conjuncta leguntur in Dur. frg. 65, eadem apud Plut. Eum. c. 4; Diod. XVIII, 59; vel verba *πάντων δὲ ἰδιαίτατον*, ex Duridis fragmento, quod in appendice protulit Müllerus, eadem Diod. XX, 92, 4. (70, 4. XIX, 1, 6), similia saepissime ut ex. gr. ib. 74, 3. 76, 4, cf. Plut. Demetr. 28. v. 23 (ib. v. 20 legitur: *ὃ καὶ συνέβη*); afferri potest verbum *πολιτεύεσθαι*, quod unius maxime auctoris proprium et in rebus Agathoclis et in rebus successorum inveniri ostendit Nitschius, atque permulta ejusmodi pusilla. Sed cum verear equidem, ne nimium in talibus rebus dubiis atque difficillimis dijudicatu, an ipsi debeantur Duridi an aliunde fluxerint, videar ponere argumentum, noli mirari, quod finem facio hujus disputationis.

Qua illud mihi videor demonstrasse, summam rerum ab successoribus Alexandri magni gestarum scientiam non ipsum Hieronymum, sed Duridem praebuisse Diodoro, Plutarcho, Cornelio, Polyaeno. Quod ut abnuant atque pernegent homines quidam doctissimi, adducti aliqua ex parte mihi videntur praejudicata illa nimisque inveterata opinione, non nisi minorum mirarumque rerum studiosum fuisse Duridem, ita, ut historiam tam bene comparatam, qualis exstat apud Diodorum, ex illo fluxisse vix sibi persuaserint [39]). Fuerit ille quidem:

[39]) Nitschius p. 30: Durch Rösiger laufen wir gefahr, uns ein bedeutendes werk schwinden zu sehen, das mit dem polybianischen

non sequitur, summam narrationis ejus fuisse pravam, quippe quae penderet ex Hieronymo. Quin etiam multo magis ad Diodori Plutarchique consuetudinem accedere videtur, ex tali eos scriptore hausisse, qui jam ipse rerum minorum copia congesta narratiunculis completam praeberet narrationem. Nam ut Eratosthenis illius libri chronici, summae sane diligentiae atque praestantiae opus, inter posteriores aetates minus sunt cogniti atque plane fere neglecti, ita, ut perpauca aetatem tulerint fragmenta, cum Apollodori chronicis expeditioribus illis quidem facilioribusque lectu magis magisque suo demoti sint loco atque usu: ita mihi factum esse videtur, ut Hieronymi opus exscriptum a Duride, qui permulta, ut delectationem atque voluptatem moveret legentium animis, de suo addidit [40]), minus sit cognitum atque exscriptum. Nec vero illud effecisse mihi videor hac dissertatione, ut quae de prodendis rebus ab successoribus Alexandri magni gestis meruit Hieronymus jam vindicentur Duridi, sed ut sua explicem ratione, quae vera intercedat rerum condicio. Quod si bene mihi cessisse judicabunt homines docti, summum operae pretium consecutum me esse laetabor; quod si minus, spero fore, ut doctiores me doceant rectius.

---

den vergleich verdient zu haben scheint. Reuss. p. VI: so könnte man es als eine ehrenpflicht der historischen kritik bezeichnen, das andenken eines mannes zu erneuern, etc.

[40]) Haud scio an etiam nunc ejusmodi Duridis additamenta, quibus delectationem voluptatemque afferat legentibus, possint discerni: ex. gr. XIX, 11, 5 sqq.: nam hanc narratiunculam de Olympiade gladium laqueum cicutamque mittente Eurydicae solus prodidit Diodorus; eadem valere videntur de XIX, 33—34, quae etiam Nitschius e Duride fluxisse contendit.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Gd 52.120
De Duride Diodori Hieronymo Duridis
Widener Library 006453349
3 2044 085 111 995